



A 231  
3

Alte

Sammlbd.

Lil

Hist.

III. C. 0

<sup>b</sup> 2  
**DE  
LEGIBUS  
MOSAICIS  
ANTE  
MOSEN  
COGITATIONES  
HERM. SAM. REIMARUS  
P. P.  
ET  
CHRISTIANUS ZIEGRA  
HAMB.  
PUBLICO EXAMINI  
IN GYMNASIO HAMBURGENSI  
AD D. XI. APRIL. A. M DCC XLI,  
SUBIICIENT.**

---

HAMBURGI  
TYPIS CONRADI KÖNIGII AMPLISS. SENATUS ET GYMNASII  
TYPOGRAPHI.

De  
Le Gi BUS  
MO SA IG IS  
ANTE  
MO SE N  
CO CI LA TONES  
HE RW SA MR EI MA RU S  
CH RI ST IA NM US DE GR A  
PU NICE EX AM II NI T  
AU CU MU SI O HU MU RG EN SI T  
ad ex al la ta AMDCCXVII

HA MA RG CI T  
TU ME RY MU NI CE AM II NI T  
IU DU RE SA PE H



## CAPUT I.

# DE RATIONE INSTITUTI.

### §. I.

**L**egenti mihi res Hebraeorum ante Mosen gestas, obvenerunt s̄e numero cum quadam admiratio-  
nē ea, quā negligentius olim mihi persuase-  
ram Mosaica demum lege sancta, & cum ipsa  
nascente republika nata primum esse. Reperi-  
bam v. g. in Judæ familia Thamaram viduam fratri prioris ma-  
riti, velut genere proximo, jure propinquitatis nubere (a):  
quod Moses quinto legis libro, non velut usu receptum con-  
firmare, sed perinde acī inauditum ante fuisse, nulla pristinae  
confuetudinis facta mentione, recens statuere videtur (b).  
Animadvertebam, sobolem, si qua ex hoc matrimonio succe-  
daneo Thamarē nasceretur, non ad eum qui natura illi pater  
erat, sed ad mortuum fratrem referri debuisse: quod ipsum in  
republika Hebraeorum ad familiarum distinctionem memoriam &  
patrimonia conservanda Mosis lege institutum obtinuit (c).

A Inve-

(a) Genef. XXXVIII. 8. 9. 11. 26.

(b) Deut. XXV. 5. 6.

(c) Vid, loca citata, & JO. SELDENUS de successioneibus ad leges E-  
braeorum in bona defunctorum, Cap. XIV. it. JAC. PERIZONIUS  
in Triade Dissertationum, quarum prima est, de ducenda defuncti  
fratris uxore, p. 8. sqq.

Inveniebam, hanc eandem feminam, cum corpore quæstum fecisse censeretur, igni damnari (d): quam poenam Moses deinde, sacerdotum certe filiabus scortantibus, rogavit (e). Taceo in præsenti alia hujus generis, decimas, vota, lustrationes, cetera; quæ ex lege Mosaica, velut explicatus de iis præcipiente, mihi notiora erant, in rebus autem gestis patrum deprehensa, quasi novitatem quadam moverunt, ut curatius eo consilio primas gentis Iraælitice origines perlegendas arbitrarer, si plura in illis vestigia legum Mosaicarum ante Moysen indagare liceret. Atque hinc accidit, ut legum ejusmodi, quæ obiter per totam narrationem illius ætatis sparsa sunt, indicis in unum collectis, penitus in eam descenderim sententiam: *pleraque & præcipua Mosis instituta jam ante Moysen viguisse, & solennioris tantum sub Moysi legis induisse formam.*

## §. II.

*Argu-  
menti  
expli-  
catio.*

Neque vero is sum, qui omnia ac singula scita nobilissimi legislatoris jam a prisca memoria obtinuisse dicitur. Factor potius, novam reipublicæ formam & possessiones novas quædam postulasse instituta veteribus incognita, vel certe ad præsentem populi conditionem singulari ratione accommodanda. Plerasque tamen & præcipias Mosis leges, sive ad morum disciplinam, sive ad religionem cærimoniarum, sive ad societatem civilis amulam inter familias paulo majores, referantur, Mose antiquiores esse contend. Has ipsas vero leges Hæbraeorum præcipias non ab exterarum gentium antiquitatibus, sed ab ipsis majoribus nationis hujus repetendas arbitror, siquidem Mosi scriptori antiquissimo & domestico fidem, ut par est, tribuimus. Itaque ut levicula quedam, & ad externum decus spectantia hasisse Hebreis ex diuturna Aegyptiorum consuetudine haud invitus largior (f): ita in maximis & gra-

(d) Genef. XXVIII. 24.

(e) Levit. XXI. 9.

(f) Quid si v. g. concederemus CLERICO ad Exod. XXXVIII. 8. morem mulie-

gravissimis ritibus, sacris, civilibus, humanis, origini Hebraicæ vindicandis, nolim temere cum quoquam prius de fide Mosis, centies jam asserta, de novo disputare. Ut porro ingenue dicam quod res est, non hoc mihi sumo, posse me horum rituum antiquitatem Hebraicam æquali ubivis evidenter demonstrare; sed satisfecisse me scopo proposito arbitror, si in scriptore, qui instituta majorum non nisi obiter & data occasione voluit attingere, longinquius interdum vestigia ostendero quorundam rituum, qui post id ætatis sanctione Mosaica ad legum constantium normam redacti sunt. Cumque illi ritus, qui ex Genesi Mosis vel disertis vel probabilibus erui rationibus poterunt, per se bene multi & plures opinione, atque nequaquam minimi ponderis sint, absurdum haud fuerit, in reliquis filentio Mosaico involutis, ad generalia provocare argumenta, quæ plura suisse evincant divinitus introducta apud sanctos Israëlitarum patres, quam concisa Historici narratio memoriae prodidit.

### §. III.

Non indignus quidem omnino hic locus mihi visus est, *Ejusdem uisus.*  
qui singulari quadam dissertatione excuteretur. Enimvero si legum civilium Romanarum, quibus etiam nunc utimur, origines ante Justinianum Imperatorem in legibus Regiis, Græcis, XII. Tabularum, formulis prætorum & edicto perpetuo investigare opera pretium statuerunt Jureconsulti: quidni pariter ab ultima antiquitate Leges Hebræorum juvet repetere,

A 2

ex

mulierum Aegyptiarum suisse, ut templa adirent cum speculo, (quod probatur ex Cyrillo Alexandrino) idque imitatas esse Israëlitides: unde מִזְבֵּחַ תָּאֹרֶךְ specula mulierum turmatim ad tabernaculum convenientium dono data legantur, ad conflandum inde laevacrum in atrio tabernaculi? Aenea enim veterum specula suisse constat vel ex PLINIO XXXIII. 9 XXXIV. 17. vide & PHILO-NEM de vita Mosis lib. III. p. 673. sq. edit. Francof. 1691. Nihil hinc credo, quia ritus est ad decorum & consuetudinem medium spectans, detrahetur divina institutioni ipsius religionis, aut ejus mysteriis: non magis quam quod Salomon in ratione ædificandi templi Phœnicum architecturam adhibuit.

ex quibus in sacrorum nostrorum cærimonias multa derivata esse constat? Certe ut illud institutum Corpori Juris & antiquitatibus Romanorum, sic nostrum sacro codici & vetustissimæ gentis historia lucem aliquam pollicetur. Neque vero intelligi facile posset, quo paœt Moœs populo pertinacissimo & refractario leges plane novas tulerit, & jugum sati durum per se, sed prorsus infuctum, cervicibus eorum imposuerit. At in eo parum, credo, aut nihil difficultatis est, quod hæc gens avitas religiones & instituta a majoribus accepta, eo tempore quo respublica constituenda esset, abire pateretur in legum formulæ tabulis publicis consignandas, atque ad præsentem & futuram respublicæ conditionem attemperandas. Præterea, quo majorem his legibus antiquitatem largimur, ad primum conditorem nominis Hebrai Abrahamum, aut generis humani Noachum atque Adamum retrogressi, eo majorem cum antiquitate sanctitatem, eoque certiorem originem divinam iis afferemus: quando viros pios constanti semper eademque fere ratione ab omni memoria a supremo Numine ad cultum sacrum & officia homine digna adstricctos fuisse patet. Aberit nunc etiam Moses longius a suspicione fraudis jam a veteribus illi impactæ, quasi ipse ex ingenio suo novos ritus contrariosque ceteris mortalibus confinxerit: cum ex nostra sententia constare possit, Moœs nulla majorum instituta antiquasse, nihil præcipui novasse, recepta usu reliquæ & temporibus aptasse, ut nulla id circa fraude illi esset opus. Denique intelligent facile periti rerum Hebraearum, non prorsus contemnendum argumentum suppeditari hac ratione adversus Viri Eruditissimi JO. SPENCERI sententiam, qui plerasque leges Mosaicas a gentium externarum moribus deducendas putavit. Nam si domi, hoc est in ipsa hac omnium nationum antiquissima, apud sanctos ejus maiores natæ sunt, immerito foris, tanquam alieno prorsus loco, apud profanos & superstitionibus addicitionibus populos origo earum queri videtur. Et forte non discederem nimis a vero, si totam hanc controversiam diu multumque agitatam distinctione inter præcipuas & minoris momenti leges componi posse dixero; ut orna-

\* \* \*

ornamenta quædam & quasi partem decori in sacris civilibus-  
que cærimonii Aegyptiacæ originis esse, Spencero largiamur,  
id autem omne quod ad caput summamque rerum Hebrae-  
rum, præfertim religionis, spectat, teneamus a venerandis hu-  
jus stirpis conditoribus traditum propagatumque esse.

§. IV.

De origine vero hac legum Mosaicarum ante Mosen, *veterum*  
haud scio, an vulgo persuasi fuerint multi, aut data opera dis-*de eo*  
quisiverint: ut potius plurimis, præfertim veterum, longe  
alia videatur sedere sententia. Græcos quidem Romanosque  
haud mirari decet ultra Mosen non assurgere: ex quibus v. g.  
*TACITUS*, *Mosè*, inquit, *quo sibi in posterum gentem firma-<sup>senten-</sup>  
ret, NOVOS RITUS contrariosque ceteris mortalibus indidit* (g).  
Ipſi Judæi, quod magis mirum est, in veteri traditione Scholæ  
Eliæ bis mille annos ante Mosen *Tohu*, seu tempus vacuum &  
expers legis vocant, & sequentibus bis mille annis sub lege  
oppontunt (h). Quasi vitam omnino rudem, sine disciplina  
morum, vel certe sine solennibus & constitutis sacrorum  
cærimonias majores iporum exegerint. Et quanquam alibi sub-  
inde ex Genesios locis præcepta quædam Mosaicis similia eru-  
ant, tamen id vel contorta interpretandi ratione & per fidi-  
culas agunt pro more suo (i), vel in Noachidarum hoc est na-  
turalibus fere præceptis subsistunt, reliqua omnia ad Mosen  
velut primum auctorem referunt; ut publica & solennis illa  
Mosaicæ legis promulgatio prope veteranum institutorum me-

A 3

mori-

(g) *TACITUS Hist. Lib. V. cap. 4.*

(h) שׁוּ אַלְפָתִים תְּחֵזֶן שְׁנֵי אַלְפִים תְּרֵהֶה וְשְׁנֵי אַלְפִים מֵתוֹ וְכַשְׁתִּין vide pluribus B. *FABRICIUM* in *Codice Pseudepigrapho Vet. Test.* p. 1079. sq.

(i) Vide Exemplum apud *SELDENUM de J N. & G. Lib. V. c. 2.* ubi ex Gen. II, 24, elicunt præcepta de congressu prohibito: & eundem *Seldenum lib. IV. c. 1.* ubi ex Gen. IX, 4, elicunt interdictum de cæde sui, & nemine per animalia occidendo. *Auctor vero libri Seder olam rabba*, p. 16. editionis Jo. Meyeri ex Gen. II, 16, eruit septem præcepta Noachica,



moriām absorpſiſe censenda ſit. Alio quidem confilio Patres Christiani negant ante Moſen leges fuifſe; quo facilius ſclicet evincant, perinde nunc abrogata Moſis lege nos ad falutem gratiamque Dei poſſe pertingere, ut fine eadem viri sancti priſca ſtatutis id aſſecuti ſunt. Unum nunc liceat laudare JU-STINUM MARTYREM in Dialogo cum Tryphonie Judeo ſic diſputantem (k): *boc niſi conſiteamur, fieri, ut in hac abſurda incidiamus cogitationem, quaſi non idem Deus temporibus Enochii & aliorum omnium fuerit; qui neque circumſectione carnis uſi ſunt, neque ſabbatha ſervarunt, neque alia inſuper qua Moſes fieri mandavit.* Unde paulo poſt colligit: *Si namque ante Abrahamum circumſectionis uſus non fuit, neque ante Moſen celebraſionis ſabbathi, feriarum & oblationum, ne nunc quidem, poſt filium Dei Iefum Chriſtum ex virginē generis Abrahæ natum, iis eft opus.* Quemadmodum vero pluriſimi Patrum Christianorum, ob rationem conſimilem, aperte Spencero präverunt in re- repetenda rituum a gentibus exteris origine (l); ita non im- merito hac quoque in cauſa videntur venerando ERICO BEN-ZELIO, in fervore orationis, qua ſe Judais opponere vole- bant, longius eſſe progreſſi (m).

### §. V.

(k) Pag. 240. D. ιὰς δὲ ταῦτα ὅντες μὴ ὀμολογήσωμεν, συμβῆσθαι γάρ τις ἔτοιτα ἐπικίττου νομιμα, ὡς τὸν αὐτὸν Θεὸν μὴ ὄντα κατὰ τὸν ιδῶν κύριον ἀλλον πάντας, ὃι μῆτε περιεομήν τὴν κατὰ σῆμα Ἰχοὺς, μῆτε οὐρβατοὶ ἴφολακει, μῆτε δὲ τὸ ἄλλα, Μανόνιος ἵτελαιμηνος τάντα ποιεῖν. & p. 241. B. οὐ γάρ πέρ τὸν Ἀθραδέμ ὅντα ηἱ Χρεία περιεομής, οὐδὲ ταῖς Μανόνιος σαββατικοῖς καὶ ἑρτῶν καὶ προσφερέσι, οὐδὲ νῦν μετὰ τὸν κατὰ τὴν βιωλὴν τὸν Θεὸν δίχα ἀμαρτίας τῆς ἀπὸ γίνεσθαι Ἀθραδέμ παρθίνου γεννηθίναι ηὔν τοῦτον Χριſτὸν, ὄμοιος τοι χρείᾳ. Vide eundem p. 236. sq. 261. B. &c.

(l) Vide preter loca Iuſtinii Martyris jam adduēta, eund. p. 182. sq. 202, &c. & alia aliorum, apud GUIL. OUTRAMUM de sacrificiis L. I. c. I. §. 6. 9. SPENCERUM de legibus Hebreorum ritualibus, Lib. III. Diff. 1. Secl. 2. p. 524. sq. edit. Cantab. 1685. & JO. FRANC. BUDDIUM Hiſt. Eccleſ. V. T. Parte I. p. 668. sq. CLE-RICUM Artis Crit. Vol. I. p. 455.

(m) In Notitia Literaria Secl. I. Parte III. p. 53.

## §. V.

In recentiorum Christianorum locis recensēndis parcus *Spenceri* ero. Unum tamen præterire nequeo supra jam laudatum *sententia* SPENCERUM, qui sub initium libri III. (n), ut hoc quod *tua*, contra se facere prævidebat argumentum eluderet, ritus tan-tum paucos facilesque ait a Patriarchis institutos esse, sed a posteris in immensus austos; qui a stirpe sanctæ radicis avulsi novos sibi mores ac instituta pro arbitrio considerint (o). Nominat tamen aliquos Patriarcharum ritus, *primitias Deo con-sacrandi, altaria titulosque in illius honorem erigendi, ea unguenti effusione dedicandi, victimas offerendi, sacras epulas ex immolati reliquis instruendi, loca quedam in cultum religiosum seponendi, & consimiles atos.* Atqui, si vel hos ipsos tantum & consimiles alios ritus, (ipſi quidem non recentis, sed haud paucos sa-ne nec leves) fatetur a Patriarchis institutos esse: concedere simul debebat, hos a majoribus potius Hebraeorum, quam ab exteris, translatos esse in gentem, quæ vix quarta generatio-ne a majoribus suis aberat: largiri debebat, in his iisdem sum-mam facile præcipuum subsecuti cultus Levitici contineri. Non debebat contra, in originibus rituum Hebraicorum investi-gandis alios consimiles domi inveniundos silentio præterire, quo facilius a peregrinis adscitos esse doceret: non debebat longa enumeratione rerum, ab Aegyptiis ut ait petitarum, sed levicularum & parum momenti ad ipsam pietatem habentium, avitæ religionis memoriam obscurare; neque a silentio Mosis, Auctoris per se concisi, in ceteris præfertim levioribus, argu-mentum negandi ducere.

## §. VI.

Quid est igitur, quod diligentiae viri doctissimi in colligendis Aegyptiorum & aliarum gentium minutis cærimonias *Quidam consen-sentes.* aptius queat opponi, quam æque diligens enarratio omnium *entes.*

quæ

(n) JO. SPENCERUS, lib. cit. in præfat. Libri III. p. 519.

(o) Verba sunt LACTANTII de origine errorum Lib. II, cap. 14.

quæ investigari possunt ante-Mosèn rituum, ut præcipuos certe ritus lege postea sanctos, diserto Mosis testimonio Hebræorum majoribus asseramus, & plures his fuisse usurpatos, sed brevitatis studio non commemoratos, ostendamus? Constat, jam sapientia viris eruditis sacrificia in primis & circumcisionem Hebreis esse vindicatam: nominandi tantum mihi sunt non nulli, qui paulo ulterius progressi reliqua etiam ex parte attigerint. In his vero, qui mihi innotuerunt, est JO. CLERICUS ad locum qui Thamaræ historiam continet (p), & alibi passim in Commentario suo: tum & JURIEUS (q) in historia critica dogmatum & cultuum bonorum & malorum: maxime vero RICH. CUMBERLANDUS in originibus gentium antiquissimis, Tractatu IX; ubi, quantum ex Actis Eruditorum colligo, magis ex instituto voluit demonstrare, quod scopus Mosis fuerit, *in avita religione Israëlitas instituere, & variis additamentis contra corruptelas gentium idololatricarum munire* (r). Fuerint sane & plures his, in quorum vel nomina vel scripta nunc non vacat inquirere; mihi satis erit, ex mea quamquam haud locuplete penu quædam hanc in rem, usus & exercitationis gratia expromere.

CA-

(p) CLERICUS ad verba Gen. XXXVIII, 8. propinquitatis jure ducito.  
*Hoc cum postea præceptum lege sit Deut. XXV, 5. ex prisco more desumendum bine apparet; nec sane omnia qua lege præscripta sunt, nova erant, ut passim ad seqq. libros ostendemus.*

(q) Mr. JURIEU Histoire critique des dogmes & des cultes bons & mauvais, qui ont été dans l' Eglise depuis Adam jusqu'à Jesus-Christ. P. I. cap. 12 -- 14.

(r) Acta Eruditorum Tomo IX. p. 336. seq. ex quibus apparet, præcipua capita, huc spectantia esse V. & VI. quinto enim per singula decalogi præcepta ostendit, leges Patriarchis simillimas fuisse iis, quas Moses iussu divino Israëlitis præscripti: sexto autem de ritibus religiosis, de sacerdotibus, altariis, confeccris per unctionem lapidibus, decimis, usu Musice sacro, expiatione per sanguinem hyssopo ipargendum, sacrificiis ex animalibus mundis, cum Mincha seu mola salsa, de civilibus item constitutionibus, magistratibus minoribus, mensuris, monetis &c. paucis exponitur.

## CAPUT II.

DE DISTINCTIONE LEGUM  
MOSAICARUM.

§. VII.


Jam ut constare possit, quæ & qualia præcepta Mosis ante Leges  
 Moſen obtinuerint, paucis de distinctione prius legum Moſis in  
 faicarum agendum erit. Ajo enim, præcipuas plerasque leges  
 Mosis ex veteri uſu originem traxisse; quod discriminē de-  
 sum inter leges Mosaicas factō perspicere poterit. Præcipuas  
 vero leges vocare par est, qua ad finem in quoconque homi-  
 nis statu plurimum conferunt, seu qua hominem partim hac fin-  
 in vita, vel extra societatem civilem vel in societate civili spe-  
 ciatum, partim in utroque statu intuitu vitæ futuræ maxime  
 beatum & felicem efficere possunt. Leges quidem morales,  
 ad omnes omnino homines, in quoconque statu, adeoque &  
 mere naturali degentes, pertinent; & si illis possemus satis-  
 facere, haberent in ſe præſentis non tantum fed & ſempiternæ  
 felicitatis fundamentum. Sunt ergo omnium præcipua &  
 dignissimæ. Quoniam tamen in statu naturali plerique ho-  
 mines suis officiis plane non satisfacturi effent, & vix ullam  
 partem felicitatis affecuturi, cum ne quidem vivere possent,  
 multo minus bene vivere: succurrat ſocietatis & reipublicæ  
 status, quo effici debet, ut abundant homines iis rebus quibus  
 ad vitam homine dignam opus eft, atque proni ad ſatisfacien-  
 dum juri naturæ omni ex parte juuentur, immorigeri contra  
 & ad injurias inferendas proni pœnis & vi compelcantur: unde  
 nascuntur leges civiles five forenſes, quarum proinde ſco-  
 pus eft, ut juris naturalis executio inter homines evadat faci-  
 lior certiorque. Cum vero & religio quatenus naturalis eft,  
 juris statusque naturæ sit, ipſa quoque religio per civilem sta-  
 tum promovetur, quemadmodum vicifim religio firmiſſimum  
 fit vinculum ſocietatis. Sed ne quidem status civilis legesque  
 civiles

B

civiles medentur omni impotentiae & corruptioni hominum, eo pacto ut æternæ in primis beatitatis certi reddamur. Unde divinæ revelationi & fidei locus est, quæ (si de doctrina sermo nobis esset) legibus utique naturalibus juxta ac civilibus præferri deberet dignitate, & Mosaicæ etiam revelationi prædicande ansam suppeditaret. Sed agimus de legibus, in quibus præter naturales & civiles nihil amplius reperimus, nisi exteriores cærimonias. Subvenitur enim homini amplius per cærimonias, tanquam per signa eorum, quorum in executione officiorum meminisse oportet. Quare dantur cærimoniae civiles, officiorum inter homines signa, quæ vel ex usu vitæ atque decoro, vel ex pacto repetenda potissimum sunt, certe a legibus civilibus quantum scio, non solent distingui, sic ut singularem legum classem constituant. Dantur vero & cærimoniae sacræ, quæ expressius nobis cum divina beneficia tum nostra erga Deum officia sистunt, quasque legibus definiri, partim fidei ad quam referuntur, partim morum in una civitate, similitudo postulat. Hæ sacræ leges cærimoniales solent a cilibus secerni; quanquam, si ad religionis exterius & uniusmodi exercitiū in eadem societate referantur, possint etiam ad civiles reduci. Exteriores aëtus cærimoniarum sine fide, saepius a Vatibus sacris velut rejiculi, & Deo per se minus grati damnantur: unde de momento legum cærimonialium per se spectatarum facile erit judicare.

## §. VIII.

*Judeo-*  
*rum di-*  
*finatio.* Patet itaque non tantum ratio distinctionis in leges morales forenses & cærimoniales, hodierno quoque usu tritæ, sed & quantum quæque leges afferant ad hominis felicitatem & quænam in singulis classibus præcipua dici mercantur. Quid vero inter sit hoc discrimen observasse, apparet exemplo Judæorum, qui vel universa legis præcepta in unam confusam conjiciunt summam, eodemque habent numero: vel ita secernunt, ut nullus inde fructus ad hominis, civis, vel Judæi conditionem erui possit. Tralatitia res est, quod a veteribus pariter



pariter & recentioribus Judæis connumerantur DCXIII. præcepta, quorum aliud fere apud ipsos quam ajetium & negantium, seu jubentium & vetantium discrimen est nullum (s): omnia, eo quod verbum Dei sunt, eodem loco reputantur (t). Unde efficitur, ut quemadmodum Stoicis perinde erat, gallum gallinaceum an patrem occidere, sic Judæi ex confusa sua legum congerie perspicere nequeant, quid majus sit, mortui contactu contaminari, an morti aliquem dare, imo ut de minutiis legis magis anxii sint quam de gravissimis (u). Emerxit

B 2

hinc

(s) Videbis scriptores hac de re apud B. FABRICIUM Bibliographia antiquariorum cap. XV. §. 4. Editiones legum varias, commentariosque recensitos leges passim in B. WOLFII Bibliotheca Hebr.

(t) R. ABRAHAM JAGEL intractat sive Catechismo suo, Articulo VIII. sic scribit אן הפרש בין פסק אונci האלקין לפסק והמנע הרוחה הכל פסקוני פולש וכוכחה לוד אלא כליה שוה וזכר ה' ואנמיינו הכל פסקוני Nullum est discrimen inter dictum: ego sum Dominus Deus tuus: Et inter dictum: Tuuna autem erat pellex, atque his similia. Sed tota Scriptura est equalis, omnesque ejus versus & verba sunt dicta & effata Domini. In Tanchuma dicitur fol. 73. col. 2. כל מ' שאט נטול ד' או אחר המון באלוי הווע נפש. Quicunque manus non lavat post cibum, idem est ac si hominem interficeret. Verum quidem est, distinguere Judæos frequenter inter præcepta gravia & levia, qualia loca plurima eruditæ collegit Doctissimus SCHOETTGENIUS ad Matth. XXII. 36. Sed incipienti patebit, Judæos partim infeliciter judicare, partim id agere, ut æquali studio levia & gravia observanda ostendant.

(u) Ex uno v. g. præcepto, quod nihil efferrí Sabbatho debeat foras, infinite subtilitates orta, sic ut ne mingere quidem aut expuere a privato loco in publicum licet. Erubin X. 5. nec sartor cum acu, aut scriba cum calamo suo exire. Schabbath I. 3. 4. Non sufficit illis, vaccam rufam ex lege comburendam esse, sed si vel duos pilos albos aut nigros in fovea una habuerit, reprobanda est. vid. MAIMONIDEM de vacca rufa c. 1. §. 2. Haud satis est, cadavere invento in agro, mensurandum esse, quæ urbs illi sit proxima; sed disputandum etiam erat, a qua parte corporis mensurationis initium capiendum, num ab umbilico, an a naribus aut collo. Sota IX. 4. ubi acute scilicet ex Gen. VII. 22. pronuntiatur, a naribus incipendum esse. Lex est, spicilegium relinquendum esse pauperibus: no-

fri

hinc jam olim inter Judæos vexatissima quæstio : quodnam in tanto numero præceptorum esset maximum ? qua quæstione etiam Chrifum tentabat legis peritus dicam an ignarus (x) ? Pariter , cum Judæi neque ad statum hominis , neque ad ejus felicitatem referant leges , fit ut sexus discriminem inepte satis applicent ad legum suarum distinctionem , & feminas negent jubentibus dictis teneri , prater hæc tria , de fluxu menstrui , pane coquendo , accendendisque lucernis circa vesperam Sabbathi (y) . Profecto si justam estimationem legum inire aut vellent aut possent , perspecturi facile essent , alias cum natura ipsa cohærente quam arctissime , ut mutari nunquam possint : alias reipublicæ temporumque conditionem supponere , ut cum ipsis mutatis simul concidant . Perspecturi essent , vix umbram ipsis hodie veteris religionis superesse : cum lex moralis non ad ippos magis quam ad ceteros mortales spectet ; lex forensis tota propemodum cum ipsa republica collapsa sit ; legis autem ceremonialis præcipua capita sua sponte cessent . Unde efficietur , ut ex omni numero præceptorum restent fere cortices tantum religionis , ducenta autem & septuaginta novem connumerentur , quibus illa solennis adjicetur formula : *non observatur* (z) .

### §. IX.

*Melior legum divisio Judaica.* Fuerunt alii Judæorum , qui magis ad res ipsas & rationem attemperare divisionem legum conati sunt , ad morum & virtutum præcepta omnia revocantes . Sic jam PHILO in expli-

fri autem homines querunt hic accuratius , an quod formicæ in cavernulam congeserunt , jure spicilegii ad pauperes an dominum agri spectet . *Pebah IV. 11.* Tardet plura ejus generis prope infinita referre . Scholasticorum nugas vincentia . Scilicet hec est ἀριθμεῖα τῶν πατρῶν νόμων JOSEPHO venditata Ant. XVII. 3. & de B. I. Lib. I. 4. nisi potius est διάδικτη τὸν κάνωσα , τὴν δὲ κάμηλον καταπίνεις , ut Christus ait , Matth. XXIII. 24.

(x) Matth. XXII. 36. Marc. XII. 28.

(y) *Mishna Bechoroth* III. 3.

(z) Vide JO. HENR. MAJI *Synopsis Theologie Judaicæ* p. 208. & JO. a LENT in *moderna Theologia Judaica* p. 449.

explicatione Decalogi reliqua præcepta revocavit ad illa de-  
cem velut κεφάλαια ceterorum omnium (a) : & Magistri in  
codice *Jebamoth* tria præceptorum genera dicunt contineri in  
lege Mosis, alia ad gloriam Dei, alia ad salutem reipublicæ,  
alia ad cuiuslibet hominis conservationem spectantia, quorum  
genus postremum secundo, secundum primo cedat (b). Ne-  
que abit ab hoc scopo responsio legis periti, vel si mavis ipsi-  
us Christi, amandum esse Deum toto pectore, & alios homi-  
nes sicut nosmet ipsos (c). Recentius quoque MAIMONI-  
DES, sua gentis facile princeps scriptor, postquam XIV. Clas-  
ses constitueret legum, quas recensere longum foret, forte  
nec Philosopho satisfacturas, tandem duobus omnia capitibus  
ait comprehendendi, iis que inter Deum & hominem, & que  
hominibus invicem intercedunt (d). Rabbi JEHUDA LIVA  
legem ad XI. summa capita reduci putat a Davide, Psalmo  
XV, in quo toto officia erga Deum hominesque traduntur :  
vel ad sex ab Esaias vate, XXXIII. 15. his verbis : *Qui se juste  
gerit, & sincere loquitur, qui respuit lucrum cum injuria conju-  
ctum, & manibus excutit nec retinet dona, qui aures obfruit, ne  
sanguinaria consilia pateant, oculosque ab injuria videnda conti-  
net : is alte habitabit &c.* vel ad tria a Micha vate VI. 8. di-  
cente : *Tibi ipse declaravit, o homo, quid bonum sit, & quid a  
te exigit Jehovah : videlicet, ut aequum facias & pietatem ames,  
teque submissa geras erga Deum tuum : vel ad unum denique ab  
Habacuco vate II. 4. inquit : Justus fide sua vivet (e).*

## B 3

## §. X.

(a) PHILO de Decalogo p. 765. Χρή δὲ μηδέποτε ἀγνοεῖν, ὅτι εἰ δίκαια λόγοι  
κεφάλαια νόμων οὐτοὶ τῶν εἰ λόγοι παρὰ ψάλτην τοὺς νομοθετούσας καὶ ταῖς ἵεραις  
βιβλοῖς ἀναγραφέντων. Atque hoc in sequentibus distinctius ostendere conatur.

(b) *Jebamoth* fol. 67, col. 2, fol. 79, col. 1. & fol. 90, col. 2. Vide si placet SURENHUSIUM in libro καταλαγῆς p. 75.

(c) Luc. X. 27, coll. Matth. XXII. 39. Marc. XII. 31. 33.

(d) MOSES MAJMONIDES in Moreh Nebochim P. III. c. 35.

(e) R JEHUDA fil. BEZALEEL cognomento Liva in נָבָעַת לְוָהָבָת Ve-  
net 359. fol. Capite LIV. & LV. fol. 48. Tacco alias Iudeorum di-  
stin-

*An no-*  
*stra Ju-*  
*deis pla-*  
*ne igno-*  
*ta.*

Atque præclare hæc pleraque per se dicta sunt. Scilicet quando quæritur, cuius generis præcepta ex omnibus clas-  
 fibus maximi sint momenti, recte utique morum præcepta ex  
 fide profecta reliquis clasibus præferuntur. Nam & scriba  
 monenti hæc Christo, plus, inquit, est, *Deum totum peccatore, stu-*  
*dio omni, toto animo, summaque ope amare, nec non alios ut se*  
*ipsum amare, quam omnes victimæ & sacrificia* (f). Verum ut  
 hic alia legum distincio supponitur, quando classis una ceteris  
 non nominatis præfertur: ita hinc nondum satis appetet,  
 quot & quænam generatim legum classes sunt, aut quæ in qualibet classe leges potiores nominandas sint; id quod cum ad  
 præsentem nostrum, tum ad plures alios fines perutile fuerit,  
 præsertim si, quod supra demonstratum est, status hominum  
 diversi & felicitas hominum respiciantur. Huc cum potissimum  
 faciat distincio in legem moralem, forensem & cærimonialem,  
 mirum sane videri debet, quod illa Philoni, antiquis  
 Judæis & Maimonidi fuerit ignota, ut recte observavit jam laudatus  
 ERICUS BENZELIUS (g). Neque tamen reticendi  
 omnino sunt quidam Judæorum recentiorum, qui divisionem  
 hanc, a Christianis ut alia multa mutuo acceptam, probant,  
 & suo more suoque ingenio ornant. Horum in numero est  
 ABENDANA in notis ad librum Cosri, ubi leges quas positi-  
 vas,

stinctiones quæ partim absurdæ sunt, partim ad rem minus faciunt.  
 v. g. R ELIAKIM PANZI in clavis Gemara p. 333, editionis Clarissimi Bashuyzen docet Gemaram ratione affirmantium legum continere פָּרָשָׁה וְשָׁנָה פָּרָשָׁה וְשָׁנָה h. e. ex Rituefieri interpretatione: *tici-*  
*tum, purum, liberum, bonum: ratione negantium, נִזְבֵּן מַמְנֻעָה שְׂמֹר אֶת־*  
*לְסָכִים prohibitum, impurum, pœnam inducens, illegitimum R. IM-*  
*MANUEL ABOAB in Nomologia P. I. c. X. p. 50. Si deve saber,*  
*que todos estos 613, preceptos divinos, los divide la ley santa in*  
*tres partes, y diferentes especies: a saber, en preceptos Verbales,*  
*en Mentaless, y en Efectivos o Operativos &c. Vide alia apud JO-*  
*SEPH, de VOISIN ad Raym. Martini Pugionem Fidei p. 82. sqq.*

(f) Marcii XII. 33.

(g) In Notitia literaria Sec. I. Parte III. p. 48. sq.

vas, intellectuales & divinas nominat, interpretatur politicas, morales & ceremoniales (h). Quanquam in eo fallit, quod Magistro suo colloquenti cum rege Cosfaræorum hanc eandem sententiam commodat, quippe qui duo tantum genera facit legum, aliud earum quæ ratione, aliud quæ revelatione tantum innescunt (i): quod respondet quodammodo distinctioni hominum in Noachidas & Israëlitas. Verum R. JOSEPH ALBO in Articulis fidei tria constituit genera legum Mosaicarum, quæ designant tria Dei attributa diversa, Sapientiam libertatem & potentiam: Sapientiam enim Dei apparet ex morum preceptis seu Decalogo: libertatem ex iis quorum rationem homines aliam reddere nequeant, quam quod placuerint Deo, h. e. ex cæremoniis: potentiam denique ex judiciis seu sanctionibus poenitibus in republica, quibus obstat iniquitati hominum (k).

### §. XI.

Restat, ut quod rationibus & locis Judaeorum illustravimus, scripturæ quoque sacrae testimonio confirmemus. Jam vero quis non videt, decem illa verba ut vocantur, seu De calogum separatis promulgatum, tabulis incisum, & in arca fœderis servatum esse: quo magis intelligeretur, hanc legem esse fundamentum præcipuum ceterarum omnium, eandemque non obstante temporum vicissitudine perduraturam. Contra,

(h) ABENDANA l. c. p. 88. sq. ay tres modos de leyes; es *affaber*, *leges Positivas*, *Intellectuales* y *Divinas*. Las *Positivas* son las ordenanzas políticas forzadamente necesarias para la conservación de la república. Las *intellectuales* son las moralidades, la humillación y quebrantamiento delante de Dios. Y las *Divinas* son los preceptos ceremoniales, recibidos por revelación de Dios, que no los altera el entendimiento, ni los contradice.

(i) Pag. 113, seq. edit. Buxtorffii. Videatur enim leges *רְאִיָּה* seu intellectuales pro iisdem habere cum *מִרְבָּחָה* seu politicas, vel has falso sub illis comprehendere; atque illis opponere *מִרְפָּחָה* divinas, quas intellectus humanus nec affimat nec negat.

(k) In סְפַר עֲרֵיךְ u. libro Articulorum fidei, fol. 88.

Nostræ  
divisio  
ex Scri-  
ptura S  
demon-  
stratur.

tra, cærimonias & sacra rite obeunda commendavit Moses sacerdotibus atque Levitis, qui & ideo, quod ex ratione hæc nota esse nequeunt, doctores populi constituti sunt. Forensibus vero lictibus & reipublicæ administrandæ, partim ipse, partim magistratus & seniores ab eo constituti vacarunt. Atque hæc distinctio personarum, caufarum & actionum, adeoque & legum, etiam sub Judicibus & Regibus obtinuit: quamquam & tempora inciderunt, ubi ad eundem virum aut eundem senatum de facrorum pariter ritibus atque civilium negotiorum causis referebatur, quod & apud Christianos passim salvo ipſarum rerum discrimine fieri affolet. Vetus itaque distinctio ipso usu fori comprobata mihi sufficiat. Nec enim vocabula *Mizwoth*, *Chukkim*, & *Mishpatim* adeo urgere velim, quas hoc ipsum discrimen legum vi sua interiore indicent; cum potius ad variam potestatem & efficaciam legum spectare, & sè penumero permutari videantur (1).

### CAPUT III.

## DE LEGE MORALI ANTE MOSEN.

### §. XII.

*Quo Mosen  
ju Deca-  
tologus an-  
te Mosen  
suffice di-  
catur.*

**Q**uemadmodum ergo tria potissimum esse Mosaicarum legum capita modo ostendi, ita primum genus, quod morum officia & virtutes hominis præcipit, ante Mosen jam existisse, pauci forte dubitabunt; ut mihi hoc in loco pertractando liceat esse breviori. Nemo enim non videt Decalogum, si a tempore quod Sabbatho statuitur discesseris, continere totidem regulas vivendi maxime necessarias & natura notas:

(1) Confer, quæ jam solide hære de monita sunt a MART. GEIERO ad Psal. LXXXIX. 32. & HERM. WITSIO in Miscellaneis sacr., Tom. II. p. 482. sq.

notas: ut, si vel rationem solam majoribus Hebreorum relinquamus, ignorare jus illud quod insita quedam vis inmentibus exprefserat, non potuerint. Neque mihi quenquam de numero, quo circumscriptæ sunt leges, litem moturum arbitror. Nam ut Arithmeticæ denariae adsuetae jam erant primi homines ipsique Israelitæ, sic regulas honesti maxime necessarias, ad paucitatem redigendas, & memoriae infingendas, legislator pro arbitrio ad hunc numerum voluit revocare: ita tamen, ut in reliquo corpore juris Mosaici varia occurrant præcepta, quæ ex duarum tabularum legibus velut rivuli e fonte manant, & ad pleniorum earum interpretationem & applicationem comparatae sunt. Quare qui complexum omnem juris naturalis & ethices vel in exemplis patrum, vel in scripta lege voluerit quærere, non intra decem verborum limites se patietur cœrceri, sed per totum Pentateuchum sparsa honesti monita sua quasi natura distincta agnoscat, neque res & actiones, infinitæ propemodum varietatis, certis numerorum rationibus, ad modum proponendi spectantibus, metietur.

### §. XIII.

Poterit hinc judicari, quid sentiendum sit de VII. præceptis Noachieis, quorum jam sex Adamo, septimum Noacho datum esse, vetus traditio est Judæorum (m). Video enim hac de re celeberrimo BUDDEO controversiam esse motam: qui cum non spernendam esse Judæorum traditionem censuerit in introductione ad historiam philosophiæ Hebreorum (n), nactus est adversarium M. GERH. HERM. MENCKE in Dissertatione philologica, qua auctoritas præceptorum Noachicorum in dubium vocatur (o). Cujus quidem Viri argumenta occasionem præbuerunt Buddeo, ut sententiam suam vel de-

C

fen-

(m) In re satis nota sufficerit amandasse lectorem ad B. FABRICIUM in Codice Pseudepigrapho V. T. p. 268, seqq. & JO. BEN. CARPZOVIIUM in notis ad Schickardi Jus Regium Hebreorum. p. 333, seqq.

(n) Pag. 14. & 15.

(o) Prodiit Lipsæ. 1711. in 4.

fenderet vel explicaret in Historia Ecclesiastica V. T. (p) sententia ejus hoc reddit, Noachica hæc præcepta summam decalogi & Juris natura continere: cumque Noachus non modo genus humanum, sed & religionem veram restaurarit, & summam legum divinarum posteris quam diligentissime inculcarit, hinc famam atque traditionem natam in gente Ebræa de præceptis Noachicis: se tamen affirmare nolle, septenario præcisè præceptorum numero leges divinas a Noacho sive definitas, aut ipsa quæ feruntur præcepta Noachica totidem verbis a Noacho concepta esse. Perspexit ergo Vir Celeberrimus, se numerum & formulas certas præceptorum Noachicorum tueri nec posse nec debere (q): quemadmodum nec illa vicissim, credo mens Doctissimo Menckio fuit, ut naturæ jus, honestum, æquum, bonum, viris sanctis cognitum, aut ab iis traditum liberis sive negaret. Proinde missa de vocibus controversia convenit inter Judæos pariter ac Christianos, naturæ legem, a viris sanctis non observatam modo, sed & quomodo: cunque tandem monitis salutaribus ad posteros propagatam esse. Et quemadmodum sex priora Noachidarum præcepta, de idolatria, de benedictione nominis divini, de cæde, de turpi coitu, de rapina, de judiciis, jam ab Adamo repetunt Judæi; ita nihil in his præceptis, si rem spectes, continetur, quin id perinde a prima hominum aetate vita & dictis commendatum esse credamus, ac postea scriptis legum tabulis sanctum est.

## §. XIV.

(p) Tomo I. p. 194. sqq.

(q) Nam ut verum fatetur, non magis Noachi hæc præcepta sive videtur, quam illa Oratio, quæ in Oraculo Sibyllinis tributa Noachio legitur apud FABRICIUM in Codice Pseudepigrapho V. T. p. 230. sqq. Ut enim nonnulla in his præceptis desiderarentur, quæ Noachi tempora aut præcipere aut vetare jubebant; sic ille locus de regimine forensi non videtur in conditionem familiarum, quibus se viri sancti continebant, satis convenire. Sunt autem præcepta Noachi quæ venditantur hæc: וְכָרְהָה וְהַלְלֵה בְּרִת הַשָּׁמֶן de cultu extraneo, seu idolatria: וְלֹא תַּבְדֵּל de benedictione nominis divini: וְלֹא שְׁפַנְתָּה שְׁפָנָת sanguinis seu cæde: וְלֹא גַּלְלֵה שְׁמֵרָה de turpi coitu: וְלֹא תַּגְנִיסֵּה rapina: וְלֹא תַּדְרִיכֵם הדְרִיכָם de judiciis, seu regimine forensi: וְלֹא תַּבְדֵּל de membro animalis viventis.

## §. XIV.

Vitam quidem Patriarcharum spectans, vereor ne in re *Vita Pa-*  
 nota molestus essem lectoribus, si singula eorum praeclare facta  
 vellem ad Decalogum Mosis, aut si mavis ad officia juris na- *tri-ar-*  
 turalis vel virtutes revocare. Dicam tamen paucis, quid *charum*  
 maxime in eorum vita mihi laude dignum vixum sit. Ubi hoc *Juri*  
 primum plane singulare occurrit, quod omnia facta sic insti- *Nat.*  
 tuerint, ut semper cogitasse de Deo, & amore, reverentia,  
 fiduciaque erga illum motos singula egisse appearat: quod est  
 Deo vivere, & supremum virtutis tenere gradum (r). Enim-  
 vero reliquarum gentium historici talia quidem nobis sicut sunt  
 exempla virorum, ex quibus sapientiam in consiliis, in agendo  
 prudentiam & fortitudinem, tum continentiam in domandis  
 affectibus animi, aut amorem patriæ & reliqua ejusmodi facile  
 agnoscas, quæ quis ratione utens & sua famæ suisque com-  
 modis recte consulens potest debetque sectari. Verum in  
 omni Ägyptiorum, Sinensium, Græcorum Romanorumve me-  
 moria nusquam fere est, qui suas rationes explendorum offici-  
 orum in rebus humanis, ubique ex contemplatione Dei ejus-  
 que virtutis infinitæ & providentiae benignissimæ profectas  
 esse probet: quales nobis Hebræorum majores descripti Moses.  
 Pariter & illud plane admirandum est, quod cum omnes fere  
 orbis terrarum nationes & familiae reliqua plures sibi finixerint  
 Deos, & ad simulacrorum cultum ac divinationes superstitiones  
 deflexerint, sola propemodum gens Hebræorum in communis  
 contagione puram se & incolumem ab omni pestifero in divinis  
 C 2 errore

(r) Sic Deo vixisse dicitur Henoch, Genef V. 22. 24. Deo obtemperans  
 in omnibus fuisse Abrahamus XVIII. 19. XXII. 16. XXVI. 5. in Deo  
 fiduciā collocaſſe idem XV. 6. XXIV. 7. Dei providentia frētos  
 omnia suscepſisse plurimi IV. 12. XVIII. 23. seqq. XXII. 14. XXIV.  
 7. seqq. XXVIII. 20. XXX. 2. XXXI. 42. XLV. 5. seqq. eundem in-  
 vocaſſe XII. 8. XXIV. 12. seqq. 63. XXV. 21. XXXII. 9. seqq. cīque  
 grato animo felices rerum eventus adscripsiſſe & gratias pro iis egisse  
 XXXII. 10. XXXV. 3. adeo ut ne mala quidem sine divina voluntate  
 credenter accidere, & a Deo ad bonos fines adhiberi sibi persuade-  
 rent XLV. 5-8.

errore conservarit. Ceterum rei pecuariae & agriculturae intenti, in laborioso vivendi genere sobrium & temperantes, longam opibusque abundantem exegerunt etatem: neminique temere molesti & erga quosvis officiosi, hospitalitatis, aequitatis, fidei, castitatis, continentiae ceterarumque virtutum memorabilia reliquerunt exempla (s). Quos adeo jam ante Mosen legum moralium tabulas menti inferitas habuisse, & ipso vivendi exemplo prodidisse, quis neget?

## §. XV.

*Vite eorum quaedam opprobria.* Sunt sane in eorum rebus gestis etiam nonnulla vitæ opprobria; verum talia, quæ certe ignorationem juris nullam indicant, reprehensa nimirum & castigata graviter ab ipsis patribus, & quæ a Mose ingenue narrata fidem ejus in laudabilium prædicatione mirifice confirmant. Non nego tamen hæsisse me interdum in commemoratione pellicum, uxorum plurium, & divertiorum, quæ ita comparata videbantur, ut opinionem juris præ se ferrent, inde a remotissimis temporibus tota propemodum Asia corroboratam. Nec poteram tamen a me impetrare, ut stare hæc possem crederem cum naturæ finibus, quæ non plures solet feminas quam mares procreare, & dissolvere societatem cum socii detimento vetat. Sed & recognoscens singula quæ hic in censum venire debent, intelligam, magnum esse discriimen inter ea quæ juris naturalis vocamus; cum sine aliis humano generi prorsus non liceat esse salvo, alia tantum ad commoda vitæ majora minoraque spectent. Jam, cum collidentibus invicem officiis, cedere alte-

(s) Abrahamus quam æquus erga Lothum, cum eorum opes una non ferret regio! Genes XIII. 8. quam officiosus, cum cum ex manu hostium non sine periculo liberat XIV. 14. sqq. quam hospitalis uterque XVIII. 2. XIX. 1. coll. XXIV. 31. quanta ille continentia a rebus alienis XIV. 23. Idem intercedit apud Deum pro aliis XVIII. 23. sqq. XX. 17. patiens est injuriarum Jacobus XXIX. 25. XXVI. 18. sqq. XXXI. 7. sq. 41. condonat facile injurias Josephus cum vindicare posset XLII. sqq. XLV. 5. idem a libidinis irritamentis fibi temperat ex amore in Deum XXXIX. 9. Tacco cetera.

alterum merito existimemus alteri; commoda necessitatibus, & minoris necessitatis commodique officia majoribus cessura colligebam. Atqui cum de singulis hominibus sermo est, ad commoda tantum vitae referenda sunt matrimonia, non ad necessitates: desistunt ergo ab ineundo matrimonio homines, ut rebus ad vitam necessariis propiciant, & propter eandem rationem ad servilem conditionem ex aequalitate naturali descendunt. In Asia & præsertim Syria ac finitimis regionibus magnus semper numerus mancipiorum fuit: fuit ergo & magnus corum numerus, quibus a matrimonio desistendum erat. Unde cum tenuioris fortis homines alere uxores non possent, nulla illis præripiebantur feminæ cum plures ducerentur ab hominibus laetioris fortunæ, & Polygamiæ ditiorum locus erat. Alia deinde ratio pellices introduxit. Nam ubi æqualem ferre uxores non poterant, ad rixas in familia evitandas consultius fuit, servam deteriore conditione ducere, quæ sub heræ maneret imperio, quamque adeo non invita marito concederet. De divortiis autem non est quod tantopere ambigamus, cum & pertinaciam morum aliaeque cause graves tollant societatem. Hæc mihi visæ est ratio verisimilis conciliandi Patriarcharum cum jure naturali mores: in qua tamen adeo morose non persistam, ut meliora monentibus assentiri verecunder.

### §. XVI.

Atque hec de vita & virtutibus Patriarcharum haëternis. Venio nunc ad monita & præcepta eorum, quibus <sup>Monita & præcepta</sup> vo- <sup>Patriarcharum.</sup> cem quasi suam naturam commodarunt, & de faciundis aut omittendis edocuerunt alios. Quod quidem ita demonstrabo, ut eodem argumento leges quoque cærimoniales ab iis divino instinctu ferri potuisse appareat. Enimvero assentiri non possum Maimonidi, qui licet non neget divinum cum viris sanctis ante Moysen commercium, tamen vatum & doctorum officio eos functos esse iniciatur, ut v. g. jussi sint acclamare alii: sic facite, sic non facite: id enim Deum Mosi primum injunxit (t).

C 3

Ego

(t) MAIMONIDES in Mœch Nebochim, P. I. c. 63, conf. & P. II, c. 39.  
Sed

Ego vero lubens concedo in Viri Doctissimi CHRISTOPH. AUG.  
HEUMANNI sententiam, qui in Actis Philosophorum (u),  
eleganter disputat, ab ipso Moze recenseri inde ab origine  
mundi eos potissimum, qui continua successione vates & docto-  
res justitiae fuerunt. Rationes haec sunt. Non tantum gene-  
ratim dicitur, spiritum Dei castigasse homines, eosque inter-  
dum ad oraculum Dei consulendum adiisse, sed & speciatim  
Noachus κήρυξ δικαιοσύνης audit divo Petro. De Abrahamo  
dicitur, illum præcepta, statuta & mandata Dei sedulo commen-  
dasse posteris & fæderis divini participes fecisse etiam vernas  
& domesticos circumfæctione præputii. Jacobus narratur juf-  
fisse familiam, ut omnia deorum simulacra removerent: alii  
multoties inducuntur invocasse Deum, sacra fecisse, vaticinia  
edidisse. Neque cum Caino Deus, credo, collocutus ipse est,  
sed per Adamum velut interpretem suum: quem proinde &  
tallere se posse, & importuna responsione contemnit habere,  
arbitrabatur Cainus. Taceo quod veteres Persæ ad Abra-  
hamum, qui a Moze diserte Propheta vocatur, suæ Theologæ  
originem retulerunt (x); aliaque extra scripturam testimonia,  
quæ nec omnia fidem merentur, nec tamen universa temere  
rejici posse existimo. Quemadmodum vero illud cum Pro-  
phetarum personis conjunctum docendi & admonendi munus  
Patriarchis certe nonnullis diserte in facris literis vindicatur:  
ita de reliquis a Moze recentis idem duplice potissimum indi-  
cio colligitur. Primum est, quod homines, si unquam, certe  
illa rudi ætate, ante legem scriptam, ante inventas artes &  
Philosophiam, ante justam reipublica formam & disciplinam,  
institutione & monitis habuerint opus: quod ipsum cur non  
illi potissimum in se suscepserint, qui a pietate in Deum homi-  
nesque

Sed & ibi dictum Magistrorum laudat Maimonides, quod Eberum  
& Methusalem Prophetas agnoscat; & communis Iudeorum sen-  
tentia Adamum quoque, Noachum, Abrahamum, Isaacum, Jaco-  
bum, Josephum, inter Prophetas numerat. Gem. Megilla. 14. 1.

(u) Parte V. p. 772. sqq.

(x) Vid. Genef. XX. 7. & THO HYDE de religione veterum Persarum.  
Cap. II. p. 28. sqq.

nesque commendantur, & ipsi filii Dei volebant appellari, nulla sane est ratio. Alterum indicium ex serie recensionis Mosaicae petitur, in qua liberorum maxima parte prætermissa, singuli quidam continuo ordine nominari, aut reliquis forte simul nominatis, licet natu majoribus, præponi videntur, ut appareret, fuisse semper inde a mundo condito filios Dei, qui in castigandis spiritu divino filiis hominum elaborarint (y).

## CAPUT IV.

DE LEGE CÆREMONIALI  
ANTE MOSEN.

## §. XVII.

**Q**uodsi ergo non aliqui tantum interjectis forte aliquot se-  
culis sed omnes in illa successione proborum qui præ ce-  
teris nominantur, vates & interpres divinae voluntatis exsti-  
terunt: nihil mirum est, quod ab illis præter quædam doctri-  
nae sublimioris capita, de quibus hic dicendi locus non est, cæ-  
rimoniae etiam exteriores, ad firmandam & custodiendam re-  
ligionem fuerint institutæ. Quas quidem a Mose retentas  
vel resuscitatas maximam & præcipuam partem legis cæ-  
rimoniarum ad montem Sinai late constitutæ ajo. Præcipue  
enim in hoc genere leges sunt, quæ faciunt maxime ad poenitentiam malefactorum, ad puritatem sanctitatemque vitæ, ad  
fidem, spem, fiduciam, amorem gratumque animum erga Deum,  
in hominibus vel excitandum vel sustinendum augendumque.  
Hoc fine vero si cærimonias Leviticæ seu Mosaicas  
spectemus, non facile erit quidquam magni momenti, quin  
jam ante Mosis ætatem traditum & solempne deprehendamus.

## §. XVIII.

Sacrificia, cum ad omnes hosce fines possent vel maxi-  
me hominem ducere, primum facile locum inter cærimonias <sup>Sacrifi-</sup>  
<sup>ciorum</sup> & fer-  
legis

(y) Conf. Genes. IV. 26. &amp; VI. 3.

torum  
genera  
& ratio-  
nes.

legis Mosaicæ occupant. Offerebantur enim vel propter peccata hominis & ad malum avertendum, vel propter bona seu impetrata seu impetranda (z). In illo maxime casu cædebarat viætima sanguisque effundebatur, velut symbolum, quod ipse homo mortis reus sit, dignusque cuius sanguis effunderetur, sed quod Deus pro singulari benignitate succedanea viætima placari homini velit. Id perspexerunt etiam Judæi, in primis ABARBANEL (a), quanquam de typo excellentioris viætimæ in sacrificio ejusmodi latente homines miseri non soleant cogitare. Ergo præsentissima in hoc ritu-sita est commemoratio delictorum, ad pœnæ promeritæ agnitionem pœnitentiamque non tantum, sed & ad spem in clementia indebita Dei Redemptorisque hominum optime de illis meriti collocandam ducens. Spectabant huc sacrificia maxime piacularia & pro delicto,

tum

(z) Oblationes omnes solent vulgo dispesci in cruentas seu sacrificia, & incruentas seu ferta & libamina. Illorum potissima sunt genera IV. *Oloth*, *Holocausta*, seu solida, qua tota igni absumebantur, occasione varia, & propter leta, & propter peccata, ut in die expiacionis: *Chattoth*, *Piacularia*, quorum ablegmina seu interanca tantum in plurimis, comburebantur, reliqua comedebantur a sacerdotibus: *Ashamoth*, pro *Reatu*, quorum eadem erat ratio, causa tamen diversa; scilicet, ut verisimile est, si quis se ipsum criminis reum agnoveret, pro reatu suo offerebat, sed deprehensus & coniactus ab aliis, piacularē potissimum: *Schelamim*, *Salutaria*, vel ex voto, vel ex grato animo oblata; quorum ablegmina pariter adolebantur, peccatis & armis dexter, cum maxilla, lingua & ventriculo a sacerdotibus, reliqua ab offerentibus comedebantur. Plebisque hisce ferta addebandunt ex pane oleo, sale, thure, & libamina ex vino. Mihi vero ad scopum sacrificiorum attendenti necesse fuit, haec genera revocare ad causas sacrificiorum, qua in quaterna hac distinctione non tantopere spectantur quam modus offerendi.

(a) Vid. Abarbanel c. IV. Exordii in Leviticum p. 291. sq. & 301 edit. Lud. de Compiegne. Lond. 1683. in 4. Eo nimirum spectare dicit impositionem manuum maximo scilicet nisi factam, velut signum, quod peccata eorumque pœne in caput viætima transferantur; que pariter est sententia Patrum apud *Outramum de sacrificiis* Lib. I. c. 22. §. 1. 2. 5. certe hoc longe verisimilius dicitur, quam quod PHILO ait libro de viætimis p. 648. impositione manuum innocentiam suam testari voluisse offerentes.

tum vero & solida, sive holocausta, ante Mosen maxime solemnia: quanquam neque post Mosen solida sacrificia hoc usū caruisse, neque piacularia ante Mosen prorsus ignota fuisse attentandi patebit. Altera ratio sacrificiorum erat felicitas, quam vel exspectabant adhuc a Divino Numine vel adepti eidem in acceptis cerebant: cui fini preter solida sacrificia, salutaria maxime conveniebant, quæ hinc in votiva atque eucharistica dispescuntur. Jam quæ ad vitam sustentandam faciunt, pro maxime necessariis haberi bonis debebant; primi autem homines ex re pecuaria & agricultura potissimum hec vitae petebant subsidia. Ergo nihil erat magis idoneum signum, quo homines a Deo sibi omne genus felicitatis evenisse aut eventurum esse grati & fiduciae pleni agnoscerent, quam si boves, oves, capras, aves, panem, vinum, oleum, lā, in quarum rerum abundantia maximæ quandam divitias fuerunt posita, ad sacram Dei aram offerrent. Viætumis ergo etiam ferta addebat ex pane vino, oleo; sed & viætima ipsa pariter atque ferta debebant pura esse, & in suo quælibet genere optima. Accedebat hominis offerentis confessio, seu peccatorum suorum, seu beneficiorum a Deo acceptorum, cum precibus pro impetranda misericordia gratia divina. Cum eucharisticis vero sacrificiis fertisque magnam affinitatem habuisse videntur primitiva, primitiæ, decimæ.

### §. XIX.

Præcipuum hanc cultus Levitici partem jam ab Adamo obtinuisse, ipse Moses pluribus in locis prodidit memoriae. Nam non tantum diserte sèpius sacrificia scribit oblata esse; sed idem intelligendum est, quotiescumque Patres aram struxisse vel ad eandem nomen Dei invocasse dicuntur, cum & lege Mosaica sine munere ad aram Dei accedere nefas esset (b). Quod cum notius sit, quam ut exemplorum desideret enarrationem, hoc tantum addo, ipsam oblationum varietatem modo

D

modo

(b) Vide Gen. XII. 8. XIII. 4. XXI. 33. XXXIII. 20. XXXV. I. coll. Exod. XIII. 15.

modo recensitam ex historia priscae aetatis posse demonstrari. Sacrificia quidem solida veteribus fuerunt usitatissima, quae tota igni absumebantur. Nec enim adhuc erat certus ordo sacerdotum, quibus alendis cederent quedam victimae partes. Eiusmodi solida nomine salutarium seu eucharisticorum maxime oblata invenio, quoties beneficium insigne divinum aut promissionem grato animo recolebant excipiebantque. Sic Abel ex pecorum multitudine, quam Deus illi per anni cursum impertiverat, exente anno gratus offert *Minchah*, quod latius etiam sacrificium notat (c): sic Noachus liberatus ab excidio generis humani *Oloah*, solida facit (d), Abrahamus post promissionem regionis Canaanæ ad Bethlehem, Jacobus in patriam redux cum multis divitiis, & ex Esavi manibus liberatus, ad Sichem invocat Deum structo altari (e). Sed & Jobus, ex Patriarcharum gente oriundus, liberorum contractam forte culpam expiaturos *Oloah* seu solida pro singulis offert, velut *Ajcham talui* seu sacrificium pro reatu dubio (f): idemque jussu divino septem victimas holocaustas velut piacularis cum deprecatione pro amicis suis offert, ad Deum iratum ipsis placandum (g). Neque alio forte consilio Jacobus, post crudelē facinus filiorum suorum in Sichemitas, Bethlehem proficiuntur, quam ut caudem patratam expiaret: propterea enim jubet eos, se lustratione, vestiumque munditie, & abdicacione simulacrorum ad rem sacram comparare. Prater solida vero sacrificia vario nomine oblata, reperimus tamen *Schelamim* salutaria seu pacifica maestata esse a veteribus. His enim sacrificii maxime conveniebat, ut earum carnes partim ab iis qui offere-

(c) Genef. IV. 3. sqq. vide infra ad §. XXIII. (e).

(d) Genef. VIII. 20. sq.

(e) Genef. XII. 8. coll. 7. Genef. XXXV. 1. coll. XXXIV. 30.

(f) Jobi sacrificium pro liberis ita explicavi in Observationibus ad Commentarium Jo. Adolphi Hofmanni in Jobum p. 7. יְלִי כָּבֵד enim ex Levit. V. 18. Iudeis dicitur, quando quis dubitabat an illa commiserit, qua si de industria commisisset excidiū reus foret, sin per errorem, sacrificium pro delicto certo קָרְבָּן כָּבֵד deberet offerre.

(g) Jobi cap. XLII. 7-9.

offerebant, partim ab iis pro quibus offerebantur, partim ab aliis etiam cognatis, amicis, domesticis, ad hilaritatem & amicitiam conciliandam comederentur. Atqui idem accidit, cum Jacobus in monte Gilead, compositis cum sacerdoti litibus, post victimas caesas, ad prandium vocat omnem familiam, pacem initam firmaturus (h). Unde & posteri Jacobi ex Aegypto discessuri, ante legem latam, concedi sibi postulant non tantum Oloth sed & Sebachim quod deinde explicatur per Oloth & Sebachim Schelamim solidam & salutaria (i).

### §. XX.

Ex modo dictis appareat, jam ante legem non tantum *Hofstæde*  
in ipsis sacrificiis sed & in scopo offerentium varietatem fuisse *mundæ,*  
*Mosaicae* consimilem: appareat etiam cur salutaria, & piacula-*varie,*  
ria, quorum caro a sacerdotibus Leviticis comedebatur, ante *opime,*  
quam singularis ordo sacerdotum esset, non adeo frequenta*festa,*  
fuerint, quam solida sacrificia. Nunc ad reliqua pergamus: Vi-*primi-*  
tias dixi lege Mosaica ex animalibus mundis, & in suo genere *tia, deci-*  
optimis, ovibus, capris, bubus & avibus, praesertim turturum & *mæ: pre-*  
columbarum genere, petitas fuisse. Sed & Noachus ex omni hoc *ces sa-*  
mundorum animalium genere eligit victimas (k): neque vim illa-*cificiis*  
turi videmur historiae Mosaica, si idem a ceteris patribus factum  
dicamus. Nam discriminem animalium mundorum & immundorum  
non ideo constitutum dici potest, quod Deo placere ne-  
queant quedam ex iis quæ ipse condidit; sed quod hominum  
natura a prima statim origine cibis quibusdam adsueta, reli-  
quos nauseavit; & quod non potuit signum grati hominum  
animi erga Deum edi, oblatis iis quæ fastidit & abominatur  
natura humana. Unde conseqüitur, nunquam nisi ex mundarum  
genere caesas esse victimas. Animantes quoque ipse utrin-  
que

D 2

(h) Genef. XXXI, 54.

(i) Exod. X. 25. XVIII. 12. coll. XXIV. 5.

(k) Genef. VIII. 20. gentes ceteræ omnis generis animalia, feras, canes, sucs, mures, piffes, auges aliaque Diis suis obtulerunt, vid, SAUBERTUM de sacrificiis veterum cap. 22-24.



que eadem : boves, interdum vaccæ, arietes ovium & caprarum, oves & capræ, turtures & columbæ ante legem oblatæ leguntur ab Abele, Noacho, Abrahamo, Jobo : & de Abele speciatim observatur, selegisse eum pecudes de grege suo pinguissimas & tenerimas. Quin & ferta Deo consecrata fuisse legimus a Caino ex vario genere fructuum terræ. Et quod de primitiis, decimis, votis, huc referendis dixi, maximam partem quoque veterum usu comprobatur Abel afferit Bechoroth primitias : Abraham Melchisedecos decimas tribuit : Jacobus præter decimas etiam domum Deo vovet (1). Addebat lege Mosæ sacrificiis confessio & preces, velut præcipius actus animum ad pietatem in Deum excitans (m). De precatur vero & pro amicis Jobus, ac procul dubio pariter pro filiis suis : qui ipsi quoque perinde ut filii Jacobi, cum ante iussi sint ad rem sacram se rite componere, non mutas egerunt personas. Et quid aliud est, quod toties de Patribus legitur, invocare nomen Dei ad aram, si hoc non est veniam petere delictorum, & gratias persolvere pro beneficiis acceptis? Requirit enim ex lege a sacrificaturo animus maxime pœnitens & gratus, sanctaque intentio (n); eoque pertinebat præparatio illa,

(1) Genef. IV. 4. XIV. 20. XXVIII. 22.

(m) Preces sacrificiis additas fuisse, & vel præcipuum ritum sacrificii constituisse, apparet partim exemplis. II. Chr. XXIX. 28. I. Macc. I. 23. sqq. IV. 54. sqq. Sirac. L. 19 partim ex testimonii, cum sacrificio impiorum orationem justorum opponit Salomon Prov. XV. 8. & preces Hoseas vocat vitulos labiorum c. XIV. 2. sicut vicissim supplicare Saulo idem est ac sacrificium offerre. Conf. OUTRAMUM de sacrificiis Lib. I. c. 20. p. 223. sqq. Hinc quo ex tempore defierunt sacrificia, decrevit senatus, ut preces substituerentur sacrificiis; qua de re consule B. WOLFIUM in Bibl. Hebr. P. I. p. 409. not. & p. 477. Preces etiam frequentes a Persis additas esse sacrificiis, ostendit THO. HYDE de Relig. vet. Persar. cap. III.

(n) De intentione quidem sacerdotum sacra facientium multa disputatione recentiores Judæi, & vim sacrificii ex sacerdotis cogitatione suspensum, ut dices ex GE. ELIEZ. EDZARDI notis ad cap. II. Avodah Sarah p. 462. sq. 467. sqq. Quia in re conscientientes habent Romanæ Ecclesiæ socios: unde BASNAGIUS Hist. des Juifs Lib. VII. c. 21. §. 26.

illa, ut ab omni re profana vel per triduum ante se contineant, tum lotionibus & vestium munditiae animi quoque fôrdes & impuras cogitationes removendas esse meminissent. Itaque & Jobus liberos vult sanctitatem afferre ad sacrificia crastina : & Jacobus multis diebus ante quam venisset Bethel, liberos & omnem familiam depositis superstitionibus profanis jubet lustrare corpora & impuras vestes cum purioribus permutare (o).

### §. XXI.

Cum sacrificiis connexa erant varia: aræ, templa, loci cultui sacro destinati, sacerdotes, & dies feriati. Arae secundum legem Mosaicam vel ex celsitudinibus terræ aggestæ, vel ex lapide rudi & impolito structæ esse debebant, ne scilicet simulacra lapidibus forte incisa, cultus alieni seu occasionem praberent seu speciem : aræ autem erectæ, solenni ritu unguento affuso dedicabantur (p). Sic & majores gentis Israëliticae non tantum sacrificiis aras parabant, sed easdem quoque ex utraque materia aggerebant. Nam certe Abrahamus solus cum filio in montem Morijah discedens, non potuit nisi ex

D 3

Ara &  
domus  
Der ante  
Mosen.

materia

§. 26 p. 1906. postquam narraverat, quam multi ex ipsis Monachis in Hispania sunt clandestini Judei, addit: *Cela doit faire trembler le Clergé & le peuple de ce pays là puisque de semblables Ecclésiastiques ne peuvent que profaner les Sacraments & manquer d'intention, en consacrant l'hostie qu'on adore. Quis contra non mitetur, MAIMON DEM & OBADIAM ad Misniam Berachoth II. 4. dicere, preces, quæ Schema dicuntur, non requirere intentionem, nisi in primo vericulo. Quantto reciù Paraphrastes Chaldaeus Ecclœf. IV, ult. fluttorum sacrificia vocat, קרבן קרבן ל' זבחין עכברין נ' זבחין נ' corum qui non simul a maleficiis respicunt: & ABARBANEL c. IV. Exordii in Leviticum p. 287 laudat dictum Talmudicum ex Tract. Minchoth extremo: Qui animum adjungit ad legis studium, is non indiget nec sacrificio piaculari, nec fôrdo, neque porro hostia pro delicto, neque fertu.*

(o) Vide si placet quæ dixi ad Jobum p. 6. & Genes. XXXV. 2. 3. coll. Exod. XIX. 10. 11.

(p) Ex. XX. 24. 25. XXXVII. 28, sq.

materia temere oblata tumultuario opere suggestum construc-  
re : & Jacobus in monte Gilead in eodem illo lapidum cu-  
mulo, quos ipse in monte inventos cum fratribus comporta-  
verat, videtur sacra fecisse. Eiusmodi struktura, ut primæ &  
rudi ætati, vitæque pastoritiae maxime conveniebat, ita exemplo  
vetustatis a Moſe retenta est : qui, perinde ut Jacobus Deos  
alienos ad altare Bethel afferre vetuit, simulacra Deorum alio-  
rum ab ara removenda præcepit. Legitur autem pariter Ja-  
cobus lapidem illum majorem quem Bethele erexerat, in signum  
altaris stabilis & templi Dei, oleo affuso dedicasse, primum in  
profectione in Mesopotamiam, deinde post redditum in patri-  
am (q) : ut hic origo cærimoniarum in consecranda ara & taber-  
naculo adhibita quærenda videatur. Enimvero nec ante Mo-  
ſen ædis sacræ usus omnino ignorabatur. Nam si illa cogita-  
tio veteribus nunquam venisset in mentem, etiam Jacobus ad  
*Bethel* seu ædem Dei ædificandam voto se non obstrinxisset:  
sive ædificium ex lapide intelligas huic usui destinatum, sive,  
quod malim, tabernaculo similius, & incertis veterum sedibus  
convenientius, quale & Moſes ob similem rationem imitatus  
est. Nam neque Moſes certo cuidam loco cultum religiosum  
affixit; & quemadmodum antea patres modo ad Bethel, mo-  
do Bersabæ, modo Gilgale, modo ad Sichem Deum adorave-  
rant, sic Moſes in variis stationibus deserti, & posteri occupata  
regione, modo Gilgale, modo Nobi, modo Schilunte, modo  
alibi, tabernaculum erexerunt. Neque tamen de nihilo esse  
videtur, quod Abrahamus jubetur in montem Morijah profi-  
cisci ad certum locum, quem Deus erat monstratus, ut ibi  
sacrificium humanum offerret: quasi jam Parenti Israelitarum  
præmonstratus esset locus, ubi postmodum statu sacrificia fieri  
debeant.

### §. XXII.

*Sacerdo-  
tes ante  
Mosen.* Sacerdotes porro, & qui sacræ obeundis manum præ-  
bebant ex Mosis præscripto, fuerunt Levitæ, substituti in lo-  
cum filiorum natu majorum. Verum jam ante Mosen fuisse  
facer-

(q) Genes. XXVIII, 18. XXXV, 14.

sacerdotes, dubitari vix potest propter expressam appellatiōnem Sacerdotis Dei altissimi, Melchisedeci (r) : & constans est Iudeorum opinio, filios natu maximos jura Sacerdotii quondam habuisse (s). Certe aetati majori quedam ex instituto antiquo privilegia fuisse tributa, pluribus ex locis manifestum est. Non sine causa vel Jacobus huic iuri inhibavit, vel Esayus propter illud contemptum βέβηλος seu profanus audit (t). Neque frustra Josephus aegre fert, minorem natu ex filiis suis inverso naturae ordine majori anteferri ab Avo Israe- le : Nec denique immerito ipse hic parens universae nationis, Rubenem privilegiis, quae aetatem ejus secutura videbantur, propter impudicitia crimen, exuit (u). Interpres Chaldaeus his juribus primogeniti distincte annumerat jus sacerdotii, cum ad locum illum Geneseos, tum ad alterum Exodi, quo Moses, ante Levitarum electionem dicitur juvenibus Israelitis demandasse munus sacra faciundi (x). Mihi certe argumenta contraria non visa sunt tanti, ut me a recepta sententia dimovant ; cum sacri officii dignitatem prior natu non videatur e manibus fuisse dimisurus, si quid sumere sibi praे fratribus ju- re posset ; neque Moses in majorum natu locum substituturus Levitas, nisi id munus quod jam in Levitas devolvebat, maxi- mis

(r) Vid. Genef. XIV. 18.

(s) Testimonia Iudeorum habes apud SELDENUM de successione in bona defunctorum cap. V. & in Pontificatum L. I. c. 1. & Lib. II. c. 1.

(t) Genef. XXV. 36, coll. Hebr. XII. 16.

(u) Genef. XLVIII. 16, sq. XLIX. 3.

(x) ONKELOS ad Genef. XLIX. 3. לְךָ הוּא לִמְכֶּב תְּלָא חַוֵּלְקָן כְּבִירֹתָה כְּהַנָּה אֲמַלְגָּה Ruben, tu mibi es natus maximus, robur meum & principium fortitudinis mea; tu accepturus eras partes tres, jus primi natu, sacerdotium & regnum. JONATHAN ad Exod. XXIV. 5. וַיַּדַּר יְהִי בְּנֵי יִשְׂרָאֵל רָזָם שֶׁ הָדוּא שְׁעָרָה הַוְתָּ פְּרִיחָה בְּכָכְרִיא דָעַ כְּרוֹן לֹא אִתְּחַכֵּר מְשֻׁנָּה וְמַנָּה וְעַד כְּרוֹן לֹא Misiqhe primos natu filiorum Israel, quod ad hoc usque tempus cultum obibant primi natu, nec adhuc factum erat tabernaculum sacerdis, aut sacerdotium datum Aaroni,

mis natu jam à longo annorum tractatu deberetur (y). Quodsi ita est, ut arbitror, novo specimine demonstratur, veterem consuetudinem, quantum fieri poterat, ad illorum temporum rationem a Moše fuisse attemperatam.

### §. XXIII.

*Sabbathum & Celebri-  
tates ante  
Mosen.*

Inter ferias sacras prima est & frequentissima Sabbathum. Non ignoro, hujus institutionem tribui Moſi in veteris pariter ac novi foederis instrumento, rationemque ejus in quibusdam locis derivari a servitute Aegyptia (z): obſervavi etiam, hoc institutum non memorari in praeceptis Noahidarum, licet Judei prope uno ore ante Moſen celebratum fuisse Sabbathum opinentur (a). Verum quid valeat auctoritas traditionis Noachicæ jam indicatum est ſupra. Ratio vero una legis non tollit alteram, qua in aliis locis ex historia conditi mundi de promta eft (b). Atque in illa historia Deus dicitur septimam diem sanctam eſſe voluisse, quod aliter accipi non potest, niſi ut homines ſepotis negotiis ſuis ſacro cultui vident. Unde si eadem conditi mundi historia nota fuīt veteribus quæ Moſi, non ignoraverunt quoque, originis mundi memoriam feria ſabbathi eſſe conservandam. Septem dierum intervallum obſervatum veteribus deprehendimus in historia Noachi expectantis finem eluvionis terrarum, & in nuptiis Iacobí cum Lea & Rahele (c), Quare, quod de circumſectione dicit Christus, pariter de Sabbatho pronunciari posſet:

*Moses*

(y) Video idem iudicium eſſe WOLFII τὸν μακάριον in notis ad Lundii Jüdische Heilighthümer p. 409. conſer Num. III. 39. ſeqq. VIII. 16. ſeqq. Excipio tamen illos casus, ubi in ſeparatione fratribus quilibet & pater familiæ & ſui juris ſiebat, ut ad ſacra obeunda alium longius remotum advocare, & ad eum proficiſci ſupervacaneum eſſet.

(z) Vid Deut. V. 15. Neh. IX. 14 Ezech. XX. 12. Hebr. IV. 4. conf. MONIDEM in Moreh Nebochim P. II. c. 31.

(a) Conf. JO. MEYERUM de temporibus & ſestis Hebraeor. P. II. c. 9. p. 183. ſeqq.

(b) Exod. XX. 9. coll. Gen. II. 3.

(c) Genef. VII. 4. VIII. 4. 10. 12. XXIX. 27. 28.

Moses dedit vobis circumsectionem, non quod illa a Mose profecta sit, sed a Patribus (d). Non legitur sane disertis verbis, diem septimam a quoquam patrum divino cultu aut feriis transactam. Sed nec ejusmodi commemorationem requirebat scopus Mosis, qui quicquid horum non poterat per occasionem attingere, præterit, legibus junctim tradendis reservans. Summatim ut dicam, argumenta que pro institutione antiquissima Sabbathi pugnant, quanquam non omnino evidentia, videntur cum contrariis, solo fere Mosis silentio nitentibus, de palma posse contendere. Præter Sabbathum erant Hebrais ex præcepto Mosis tres temporum celebritates, Paschatis, Pentecostes, & Tabernaculorum. Prima recolebat memoriam liberationis ex Aegypto, altera latæ legis, tertia peregrinationis in deserto. Verum iisdem his sacris feriis annua simul Dei beneficia prædicabant, prima quidem primitias messis hordei, altera primitias tritici, tertia decimas fructuum reliquorum offerentes. Atque parum abest quin hinc, velut a re constanti & cum ipsa mundi aetate coæquanda prima triplicis celebritatis initia ducam. Saltem ultra verisimilitudinem assurgere mihi videtur argumentum quod a Caini & Abelis oblatione peti potest, velut tempore collectorum anni fructuum facta. Nam *Mikkez Hajamim*, a fine dierum, pro hebraismi ratione, finem anni indicat, & proventus agri ab altero fratrum, ab altero pinguisima pecora oblata sunt, quod in anni exitum, tempisque celebritatis tabernaculorum, incidit (e). Memini etiam, me

E

in

(d) Joh. VII. 22. διὰ τοῦτο Μωϋς ἤδακεν ὑμῖν τὴν περιτομὴν (σὺν ὅτι  
ιν τὸν Μωϋσέα ιστὶ ἀλλά ιν τὸν πατέρων.)

(e) Genes. IV. 3. כִּי־גַּם non potest ad certos dies aut certum tempus, de quo forte sermo fuisset in antecedentibus, referri: itaque finis hicce in ipsis his כִּי־גַּם querendus erit, simulque initium. Notum quippe est, voce hac sepius annum notari, ut כִּי־גַּם sacrificium annum significet, I. Sam. II, 19, XX. 6. quod offerebatur כִּי־גַּם de anno in annum. Jud. XI. 40. I. Sam. I. 3. Quemadmodum igitur res ipsa indicat munus ex grato animo oblatum supponere collectoras jam fruges, ita cum utrique fratrum id simul in mentem venerit, ducimur prope necessario ad celebratatem jam tum institutam, que posse Exod. XXXII. 16 vocatur בְּאָסָף בְּצִאת הַשָּׁנָה, or *celebritas collectionis fructuum in fine anni.*



in observationibus ad Commentarium Hofmanni in Jobum, convivia filiorum Jobi huc retulisse, velut indicium hilaritatis ob peractam fructuum collectionem. Quodsi igitur neque primitias & decimas Deo consecrare insolens fuit patribus, ut supra demonstratum est, videbitur haec triplex anni celebritas jam a Patribus rei agrariae vel maxime deditis peracta, nec absurde dicetur a Mose ad novorum simul sui temporis beneficiorum memoriam traducta esse.

#### §. XXIV.

*Institutio & admonitio sacerdotum, atque oracula.* Occasione sacrificiorum & festorum dierum, itemque alio tempore, instituebantur admonebanturque homines a parentibus & præcipue sacerdotibus. Sic Moses jubet parentes edocere liberos de ratione instituti Paschatos, atque ex ore Sacerdotum & Levitarum petere doctrinam universos (f). Verum & ante Moysen idem factum dicimus exemplo Caini, quem probabile est sacra fecisse in celebritate collectarum frugum, & ab Adamo velut Propheta ac sacerdote præclarum illud accepisse monitum, quid ad cultum ejusmodi Deo placentem requiratur (g). Neque poterant homines ante rem publicam institutam prima Theologiae & morum elementa aliunde quam a parentibus addiscere. Isaacus cum patre ad montem Moriah ambulans querit ex eo ubinam sit hostia Deo mandanda: & patresfamilias, qui iidem & Sacerdotes vel Vates fuerunt, haud sane desuerint officio suo, familiam præcipue domesticam erudiendi. Persuadere mihi certe non possum, v. g. Abrahamum grassatum tantum esse inguina servorum suorum amputando preputii pelliculam, nihilque de ratione & consilio rei nova & molesta tradidisse. Rebecca etiam grava & de eventu partus follicita ad interrogandum Deum abiit

(f) Exod. XII. 26. 27. XIII. 8. 9. & Lev. X. 11. coll. II. Chr. XVII. 9. Hagg. II. 12. Mal. II. 7.

(g) Conf. §. XXIII. & Cl. HEUMANNUM in Aëlis Philosophor. P. V. p. 776. sqq.

abiit (h) : sive vatis alicujus oraculum unice consuleret, sive jam esset persona certa locusque certus, ubi per Urim & Thummim aut aliud simile iuſtrumentum sacerdos Dei responsa dabant. Saltem jam ante Melchisedecus sacerdos Dei altissimi memoratur, & Moses Urim atque Thummim velut rem jam fatis notam non describit, cum in reliquo Pontificis ornatu deſribendo sit admodum copiosus (i). Id certe apparet, dum ante Mosen ad consuendos Prophetas vel sacerdotes allegatos esse homines. Quemadmodum vero ne poſtea quidem excelsa prorūſus vel lege vel uſu abrogata Judæi perhibent, sic in excelsis & lucis veteres cultum præſertim Dei, cum tota ſacrificiorum & oraculorum ratione videntur instituisse (k).

### §. XXV.

Præter illa qua modo enarravimus arctius cum ſacrificiis coherentia, clafſis ſequitur altera rituum ſacrorum, qui remotiore cum illis nexum habent. Hujus generis eſt interdictum de ſanguine animalium non comedendo, Noachum promulgatum, & inter Moſiacas deinde leges ſepiuſ occurrens (l). Cum vero nihil ſit manifestius, quam quod haec lex repetita ſit ex veterum iuſtitutis, & tamen illa non commendetur exemplo majorum & avitæ religionis, obiter hinc diſcimus, nihil hoc in argumenio contra antiquitatem rituum ex Moſis ſilento poſſe confici. Aperit autem Moſes nexum hujus ritus cum ſacrificiis, quando pro ratione addit, E 2

enim


*Sanguis,  
adeps,  
nervus  
coxendis,  
veti-  
ti,*

(h) Genef. XXV, 22. Phrasis illa *ire confultum Jēhovām* ſignificat explorare Dei voluntatem per ſacerdotem aut prophetam. Ex. XVIII. 15. Jud. XX. 18. 23. 26. 27. I. Sam. IX. 9. XIV. 37. XXII. 10. 13. 15. XXIII. 3. 4. II. Sam. II. 1.

(i) Ita video ratiocinari etiam JO. HENR. MAJUM Patrem, in Exercitationibus philologicis & exegeticis T. I. p. 456. fq.

(k) Vide de excelsis poſt legem, Jud. VI. 26. I. Reg. III. 2. GROTIUM ad I. Sam. IX. 13. ABARBANELEM & RALBAG ad I. Reg. III. 3. RELANDUM Antiqu. Sacr. P. I. c. 3. §. 8. 9.

(l) Genef. IX. 4. Levit. III. 17. XVII. 10. 11. 14. XIX. 26. Deut. XII. 23. XV. 23.



enim destinavi sanguinem, velut expiationem pro anima vestra. Nam quia pro vita & sanguine suo, vitam sanguinemque vietimae, ad sacram Dei aram effundere consueverant homines, sanctitas quedam conciliabatur sanguini effundendo, ut ab ejus usu quotidiano & profano sibi temperarent (m). Eadem redditur ratio adipis non comedendi, perinde ut languinis: *omnis enim adeps Domini est: atque hoc perpetuum esto apud posteros institutum, ubicunque commorabitini, ut ab adipe juxta sanguine abstineatis.* Nimurum & adeps reticuli, tum & adhaerens rebus, hepatici & infestinisi, cremabatur in ara Dei, etiam si reliqua caro ab hominibus consumeretur. Unde fieri potest, non obstante Mosis silentio, ut mos cum priori ex eadem ratione pendens, non minus fuerit antiquae consuetudinis. Singularem habet rationem institutum illud, quod nervum coxendicis ex solidis sacrificiis eximebant Israelitae, nec ipsi ex aliis animalibus edebant: quoniam illam corporis partem lucenti Jacobo divinitus taetam & sacram existimabant. Qua occasione licet annotare, quod de perpetua hac Israelitarum consuetudine scriptor facer statim tradat in narratione lucenti Jacobi, sed eam in legum recensione prætereat: vel quod legis formam nunquam nacta sit, vel quod supervacaneum videretur ea de re precipere, qua jam usu antiquo radicata esset: quem ad modum nec Turce in Corano ad circumseptionem præputii adiungunt, & eam tamen ex antiquissima Arabum consuetudine sancte servant (n). Lex de Heterogeneis quæ in Levitico reperitur, vetat non tantum semina diversa uno in agro serenda, sed

(m) Singularis est sententia JURIETI, omnem maculationem animalium, etiam quæ cibi gratia siebat, sacrificii rationem habuisse, ideoque sanguinem effusum & non gustatum, imo sparsum etiam a sacerdote ad altare. Vide ejus Historie Critique des dogmes &c. P. I. c. 12. p. 84, seq. & Lev. XVII. 3. sq. 10. coll. Deut. XII. 21.

(n) De nervo coxendicis vid. Genet. XXXII. 32. De circumseptione apud Turcas obseruat Ludov. MARACCIUS in Prodromo ad refutationem Alcorani P. IV. p. 251. ne nomen quidem ejus in Alcorano reperiiri, tantum abesse ut præcipiatur; & tamen constanter servari a Turcis.

sed & adulteria animalium, imo arborum quoque ut Judaeis placet, sive coitus diversi generis animalium & infestationes arborum diversi generis. Atque haec posteriora Judaei ad jus Noahidarum vel naturae referunt, & antiquissimae consuetudinis fuisse dictitant: (o) quod de adulteriis animalium facile crediderim, cum ad mundorum immundorumque vetus discrimen referri debere videatur.

### §. XXVI.


Sed & graviora quedam ad cultum sacrificiorum remotiore nexus pertinent. Nam ut præputiati lege Mosaica ad Circum-  
aram Dei & cœtum Israëlitarum non admittebantur, sed exci-  
debant juribus nationis: sic communis jam omnium Israëli-  
tum Parens Abrahamus ius divino instituerat, ut omnes ma-  
res liberi non tantum ab ipso nati aut nascendi circumfecto  
præputio fecerentur ab aliis nationibus, & purioris religio-  
nis fidem cærimoniasque hoc pacto in se susciperent, sed ut  
idem sacerdotes servi & vernæ & argento emti (p). Quo ipso  
manifestum est, proselytos quos vocant justitiae ante legem  
dudum fuisse, quem ad modum & servi postea proselyti facti  
funt, sic ut peregrinorum seu proselytorum nomine servi in lege  
E 3 veniant,

(o) Vide SELDENUM in J. N. & G. Lib. VII. c. 3. & MAIMONIDEM  
de Regibus. c. X. §. 6.

(p) Vide Exod. IV. 25. XII. 44. 48. Lev. XII. 3. Circumfectionis negle<sup>cum</sup>ptus pñnam excidii meretur ex sententia Iudæorum. Kerithuth.  
I. I. quod idem est ac juribus civis Hebrei excidere, ut recte ex-  
plicat CLERICUS ad Genes. XVII. 14. provocans ad illud in fragmen-  
tis Petronii:

*Ni tamen & ferro succiderit inguinis oram,  
Exemptus populo Grajam migrabit ad urbem.*

Conf & PERIZONIUM in Triade Diff. p. 41. sqq. Præter ordinem  
vero factum est, quod ad 1. Cor. VII. 18. IO. LIGHTFOOTUS  
scribit, sacerdotes aliquando præputium adhuc habentes ad aram ad-  
missos esse. Eadem loquendi ratio, excidetur e gente sua reperi-  
tur Gen. XVII. 14. statuta Abrahami posteris circumfectionem ne-  
gligentibus, quasi non habendis pro filiis Abrahani.



veniant, sicut Josephus dudum agnovit (q). Fieri etiam potest, ut servi illi profelyti olim non aliter ut post legem additis sacrificiis & lotionibus reciperentur. Lotiones enim, velut genus lustrationis ad rem sacram peragendam, & velut signum superstitionis gentilis deponendae, adhibitas fuisse, Jacobi jam exemplo supra edocti sumus.

### §. XXVII.

*Relique  
cerimo-  
nie sunt  
minoris  
momen-  
ti.*

Atque haec sunt cæremoniaæ legesque sacræ Mosis ætate priores, quas præcipuum partem subfecuti cultus Mosaici constituerem dixi. Patet enim omnia haec & singula esse signa, quæ homines ad poenitentiam, modestiam, fidem, spem, charitatem, puritatemque & sanctitatem vitæ excitare apta erant. Quæ si quis neget ad Israelitas perpetua traditione majorum descendisse, ipsum Mosis testimonium in dubium vocet necesse est. Neque video, cur ubi illa apud ceteras quoque gentes invaluisse recentiorum scriptorum auctoritate invenimus, eorum originem magis apud profanas nationes quam Israelitas queramus. Jam confer si placet pleraque ex reliquis, annon ad ornamenta potius & decorum religionis spectent? tabernacula v. g. apparatum, afferes, perticas, columnas, vela, tegumenta, aram ejusque cornua, pelym, mensam, candelabrum, tum & vestes sacerdotum vario colore distinctas itemque lineas, reliqua hujus generis. In quibus si quid forte deprehendatur, quod ad imitationem Ægyptiorum aliarumve gentium sit constitutum, nihil hoc pacto religionis ipsius sanctitati deteri putarim. Nam qui in minutis ejusmodi, v. g. candelabri figura, mologranatis, floribus, in ratione pallii, tunicæ, cidaris Pontificis, divina mysteria typosque quarunt, haud scio

(q) Profelyti iustitiae ad exemplum servorum Abrahami, & expresso mandato Mosis Exod. XII. 44. debabant circumcidere. Unde in Deut. XXIX. 11. explicatur per eos qui ligna cedunt & aquam hauriunt. LXX. ὁ περικλυτος ὁ εν μέσῳ της πατεριμοτης ὑμῶν ἀπὸ ξυλοκότες ὑμῶν οὐδὲ τας ὑδροφόρους ὑμάν. De Josepho idem observante vid. LUD. COMPIEGNE ad Maimonidis Hilcoth Corban Pesach c. V. §. 5.

scio an dignitati & gravitati religionis recte consulant: quamquam non nego, posse & a rebus ejusmodi, perinde ut ab obviis in natura, figuras orationis & translatum dicendi genus quasi mutuo sumi.

## CAPUT V.

# DE LEGE CIVILI ANTE MOSEN.

### §. XXVIII.

**Q**uod rerum civilium non adeo multas in rebus gestis pri-  
scorum Hebraeorum deprehendimus, partim inde deri-  
vandum censeo, quia scriptori sacro non præbuit se tam fre-  
quens occasio eas commemorandi: partim quia ipsum anti-  
quius vivendi genus separatis circumscriptum familiis, plenam  
rationem rei civilis & publicæ non admittebat. Neque tamen  
funt omnino nulla quæ ex familiis amplissimis majorum propa-  
gata ad posteros in statu civili Israelitarum servari potuerunt.  
Nolo jam de Jobo dicere, qui in urbe magistratum tenuit, (r)  
ne ab Hebraorum majoribus divagari videar. Sed & Abra-  
hamo præter ancillas fuere servi trecenti, & amplius, domi-  
nati, qui omnes hæreditate transierunt ad Isaacum & forte  
aucti sunt: tum & Jacobus præter servorum multitudinem  
habuit complures liberos, atque ex his nepotes (s). Unde  
intelligitur, familias ejusmodi plurimis tentoriis velut in pago  
aut urbe junctim habitasse, patri familias velut supremo magi-  
strati subiectas: ut jam reipublicæ justæ speciem referrent,  
& cum regulis ac principibus, quales tunc erant, numero ci-  
vium

(r) Non uno in loco sibi Jobus Principatum in urbe sua tribuit. vide  
in primis c. XXIX. 7 - 17.

(s) De Abrahamo vide Genes. XIV. 14. de Isaaco, Gen. XXI. 10, XXV. 5.  
de Jacobo, Genes. XXX. 43, XXXVI. 7.

*Legum  
civilium  
Mosis  
non pla-  
ne nulla  
ante Mo-  
sen ver-  
figia.*

vium viribusque contendere; neque adeo legibus & statutis patrum familias carere possent. Cum his Mosaica statuta conferens quæ ad Rempublicam spectare creduntur, video, quædam esse ejus generis, ut juris tantum & status naturalis urgant officia. De quibus haud facile quisquam dubitabit, quin eadem Patribus velut viris justis & æquis nota pariter & observata fuerint, quæ Moses præcepit: scilicet ut neminem læderent, suum cuique tribuerent, promissis & jurijurando starent; in permutatione, emtione venditione, sponsione, pignore & reliquis contractibus fidem æquumque servarent (t). Sed ad nostrum institutum magis spectant leges civiles proprie dictæ, quæ societatem civilem & minores societas ex quibus civitas componitur supponunt, aut certe sanctionem poenæ legibus naturæ adjiciunt: in quibus ipsis spero me vestigia non plane nulla antiquæ consuetudinis demonstraturum.

### §. XXIX.

*Matri-  
monia  
ante &  
post Mo-  
ses con-  
ferun-  
tur.*

Componitur civitas primum ex conjugum societatibus, ut ideo certis legibus matrimonia adstringi in republica necesse sit. Moses quidem cavit legibus, ne Hebraeus nisi cum Hebraea temere iniret matrimonium, ex ratione satis nota. Sed nihil magis etiam exemplo priscorum providit Abrahamus & Isaacus, quam ne filii cum exteris contraherent ejusmodi societam; & Jacobi filii tum demum in connubia cum Sichemitis confensuros se diicitant, si omnes masculi circumseptionem susceperint (u). Moses non vetuit sed permisit potius, plures ducere uxores. Duxit vero & complures Jacobus: quod qua

(t) Jure jurando firmatas esse promissiones & pacta legitur passim: Gen. XIV. 22. XXI. 23. sqq. XXIV. 3. sqq. XXV. 28. 33. XXVI. 31. XXXI. 53. XLVII. 31. Permutationem invenio Gen. XXI. 27. 30. emtionem & venditionem XXIII. 15-17. sponsionem XLIII. 8. 9. XLIV. pignus XXXVIII. 17-18. 20. ut alios contractus innominatos taceant.

(u) Conjugia cum gentibus interdicta Deut. VII. 3. 4. coll. Efr. X. 2. sqq. idem caverunt pii majores Gen VI. 2. XXIV. 3. sqq. XXVII. 46. XXVIII. 6. 8. 9. XXXIV. 14-17.

qua ratione vel excusari vel defendi posse videatur, jam supra demonstravi (x). Ex ejusmodi conjugii jure sequebantur & pellices inter Israëlitæ usitatæ, exemplo majorum (y). Duas forores habere simul in matrimonio, vetitum constitutione Moysæ credunt Judeï Rabbanitæ: nimirum Israëlitæ prohibendi erant ea re, ne licere sibi crederent quod Israël admisserat (z). Divortia toleravit Moses, sed præeuntibus Patribus (a). Frater defuncti fratris viduam ducere tenebatur, avita scilicet consuetudine (b); imo fieri potest ut mos exuendi calcei, si quis nollet fratri adire hæreditatem, pariter antiquissimam habeat originem (c). Gradus certi consanguinitatis & affinitatis

## F

## nitatis

(x) Polygamiam permississe Moysen, appareret ex Deut. XXI. 15. sqq. exemplo scilicet veterum, in primis Jacobi, imo omnium fere totius Asiae populorum. Unde & factum, ut constituta Republica non tantum principes & reges quasi ad magnificentiam pariter ac voluntatem plures haberent uxores, Judic. VIII. 30. I. Sam. XXV. 43. XXVII. 3. II. Sam. V. 13. XII. 8. I. Reg. XI. 3. I. Chr. XI. 21. sed & privati I. Sam. I. 2. I. Chr. IV. 5. Confer quæ dixi §. XV.

(y) Pellices memorantur Judic. VIII. 31. XIX. 1. sqq. II. Sam. III. 7. V. 13. I. Reg. XI. 3. I. Chr. II. 46. 48. III. 9. VIII. 14. II. Chr. XI. 21. De majoribus Hebreorum pellices habentibus vide Gen. XVI. 2. XXV. 1. coll. 6. XXII. 24. XXXVI. 12. XLVI. 10.


(z) Mosis verba Levit. XVIII. 18. וְנִשְׁאָה לֹא תַּנִּשֵּׁא de quaenque alia uxore præter unam non duenda interpretantur Karaite, quasi Polygania omnis prohibeat. Sed Rabbanitæ rectius fororum uxoris adhuc viventis tantum ducere illicitum credunt, mortuæ non item. Vide SELDENUM de J. N. & G. L. V. c. 6. 10. & THEOD. HAKSPANIUM in sylloge Disputationum p. 43. sqq.

(a) De divortio agitur Deut. XXIV. 1 - 4. coll. Mal. II. 16. Sed jam ante Hagaram dimissam ab Abrahamo constat. Genes. XXI. 10. sqq.

(b) Leviri officium habetur Deut. XXV. 5. sq. Ante legem idem factum legitur Genes. XXXVIII. 6. seqq. vide dicta §. I.

(c) Ruth. IV. 7, dicitur - Fieri autem consueverat dudum inter Israëlitæ, cum in vindicatione rei, tum in permutatione, ut ad confirmandum alterum alter exueret calcum daretque alteri. Ad hæc verba Vir summus JO. JAC. RAMBACH in notis uberioribus ad libellum Ruthæ, ex recensione D. Jo. Henr. Michaelis :

anted,



nitatis, qui maritandi non fuerunt lege Mosaica, quanquam non adeo stricte observati fuerint antea, videntur tamen cum ipso nationis incremento sapientissimis ex rationibus evitati esse: Certe Moses his interdicens, Ægyptiorum quidem & Canaanorum consuetudinem contrariam, non vero ipsorum Israëlitarum veterem morem jam forte deponendum commemorat (d). Ex his vero omnibus appetet, societatem conjugiorum in republica Hebræorum, aut nihil, aut parum certe, ab antiquitatis exemplo deflexisse.

### §. XXX.

*Societas  
terna u-  
trinque  
eadem ra-  
tio.*

Intercedit alia societas inter parentes & liberos. Ubi quidem de cura alendi & educaudi prolem nihil est quod hoc loco dicamus, quoniama utraque extra societatem civilem patriter obtinet. Sed hoc singulare fuit civitati ejusdem nationis, quod qui legitimi haberentur liberi, jure & privilegiis civitatis & nationis gavisi, referrentur in tabulas genealogicas, ceterorum nomina vel non annotarentur, vel delerentur, quæ erat poena excidii Kereth dicta. At enim vero jam Abrahami tempore institutum fuerat, ut qui præputium non ampu-

*antea, s. olim, i. e. mos a multis jam seculis receptus. Deut II, 10. 12. 20. Jos. XIV, 15. Neh. XIII, 5. תְּנַשֵּׁת by super vindicatio-  
ne, vel in vindiciis. v. 6. Schmid. Sumitur hic speciatim de modo alienandi per venditionem, ut bene adnotat R. Sal, quæ vel simplex erat, vel cum matrimonio uxori propinquai connexa, ut h. l. Equidem non per omnia contulerim hanc historiam cum lege Mosis Deut XXV, 9. non ignarus eorum quae de discrimine utriusque casus monuit Venerandus JO. GOTTLÖB CARPOVIUS in Diff. de Diffalceatione religiosa p. 191. sqq. Attamen in eo conveniunt, quod extrahens calceum debuisset de jure ducere uxorem propinquam Num. XXXVI, 8. eique in porta seu confessu judicium renunciavit extraucto calceo. Sed dum Ruthæ historia hic nullam legis Mosaicæ injicit mentionem, verum ad consuetudinem antiquissimam Israëlitarum provocat: indicio est, morem extrahendi calcem in tali casu Mosis lege antiquiore haberi.*

(d) Vide Levit, XVIII, 3. 4.


amputassent, jure nationis privarentur: & vix dubitandum est, fuisse ab illa certe ætate *Siphre toledoth* sive indices genuinorum filiorum Abrahæ, qui postea historiæ populi Isrealiticæ sint inserti (e). Quemadmodum vero jus civitatis Hebræorum cum certis in qualibet familia possessionibus conjunctum erat, ita ex eodem fonte manavit jus filii, qui a leviro nomine fratris defuncti susceptus erat ex vidua, ut ille pro filio defuncti civiliter haberetur & in bona ejus succederet: quod ipsum jam sub initium hujus Dissertationis ante profectionem in Aegyptum inter Jacobi liberos obtinuisse ostendimus. Ceterum res nota est, filio natu maximo lege Mosaica tributam esse duplē partem hereditatis: cuius generis prerogativam jam ante legem maximis natu datam non immerito arbitrantur Juðæi, quia quod jure debebatur Rubeni concessum Josepho sit, cuius scilicet posteri duarum tribuum possessiones adepti sunt, ex voluntate Jacobi (f). Jam qui cogitat, Josephum ex Rahele magis amata, Rubenem ex Lea minus amata natum fuisse, mecum forte judicabit, Mosen cavere voluisse ne hoc ad imitationem traheretur, quando in Deuteronomio ve-

F 2

tat

(e) Moses sepius censum populi habuit secundum tribus & familias; neque tamen id videtur fieri potuisse sine capitibus familiarium, quorum & frequens est hac occasione mentio: imo fieri non potuisse, ut singuli in tanta multitudine, sub exitum ex Aegypto demum, referrentur ad certum genus, nisi jam pér omne tempus commemorationis in Aegypto capita familiarium sollicita cura invigilasset, ut qui, & quibus parentibus, & quomodo nascerentur, scriptis tabulis proderetur memoria. Hec cura patrum proficierebatur maxime ex promissionibus Abrahamo ejusque semini dati, unde circumstitione non tantum a reliquis distingundi erant posteri, sed & nomina annotanda. Accedebat postes testamentum Jacobi, quo cuique suum, Levitis nihil, Josepho duplex portio adsignabatur.

(f) Duplex portio maximi natu diserte traditur Deut. XXI. 17. לְתַת־לֵךְ וְרָאשָׁתְּךָ נֶגֶד כִּי־זֹאת־רָאשָׁתְּךָ וְלֵךְ וְרָאשָׁתְּךָ ubi notanda verba que adduntur לְתַת־לֵךְ וְרָאשָׁתְּךָ נֶגֶד כִּי־זֹאת־רָאשָׁתְּךָ וְלֵךְ וְרָאשָׁתְּךָ וְהַבְּרוֹתָה משפטם que ipsa sunt verba de Rubene usurpata Gen. XLIX. 3. רָאשָׁן בְּכִיר אַחֲתָה כְּתִי וְרָאשָׁתְּ אֲוִי Ut adeo duplex portio, quam Josephi liberis a se adoptatis vindicavit Jacobus Gen. XLVIII. 5. 6. illa sit, que Rubeni jure primorum natu debebatur. I. Chr. V. 1.



tat filium uxoris minus amatæ, si prior natu sit, jure hoc privare, idque in alterum filium minorem ex magis amata uxore susceptum transferre (g). Quod indicio est, non ignarum fuisse Legiflatorem, quam tenax institutorum avitorum sit natio. Quid pellicum liberis factum sit post legem, non reperio; neque tamen dubitare fas est, lege expresa deficiente, Abrahami exemplum secutos esse Iraelitas, hoc est, ut pellicum liberos ab herciscundo patrimonio excluderent. Certe Jephtha natus ex aliena uxore solenni ritu non ducta, hereditate paterna arcetur a liberis uxoris legitimæ (h).

### §. XXXI.

*Herilis  
societas  
tis con-  
venientia.*

Ergo nec liberorum conditionem lex Mosaica aut reipublicæ status magnopere mutavit. De herili societate nunc porro videamus. Homines antiquitus in commercio fuerunt in Asia; unde non tantum lex saepenumero de servis ære emitis loquitur, sed & Abrahamo, Isaaco & Jacobo tales fuissent historia docet. Hi vero si exteri essent, mancipiorum nomine ad dies vita manebant in servitute, & velut res propria vendi iterum, dono dari, atque ad haeredes transtire poterant: imo liberi etiam mancipiorum dominati, haud meliore fuerunt conditione. Sic & Abrahamus atque Lothus ex Syria in Cananæam discedentes, magnam mancipiorum multitudinem habuerunt, emtam ex Syris; qua gens olim servitutinata credebatur, & ex qua Tyrii quoque & Sidonii servos emebant. Quare & Jacobus ex Mesopotamia sive Syria interamni redux servis & ancillis abundabat. Alios servos etiam dono datos ab Abimelecho naestus est Abrahamus, & forte Esayo fratri Jacobus cum grege & armentis etiam illos qui agebant pecus dono

(g) Locus est Deut. XXI, 15. *Si quis duas habeat uxores, alteram magis, alteram minus amatam, & ex hac fuerit maximus natu: tum ubi suarum facultatum possessionem filii volet tradere, non poterit dilectoris uxoris filium, praterito filio natu maximo minus dilecta, juribus primogeniti donare. &c.*

(h) Vid. Judic. XI, 1, 2. & ibi Clericum.

dono concessit. Plures domi nati Abrahamo tribuuntur. Neque dubium est, quin Isaacus Abrahami ex aſſe haeres etiam parentis mancipia načtus sit, dividunda postmodum inter Esavum & Jacobum (i). Hos vero servos extraneos profelytos factos, eumque morem etiam in republica Hebræorum lege Mosaica servatum esse jam supra monuimus (k). Mitior erat ex eadem lege servitus Hebræorum, qui se forte in extrema paupertate in servitutem addixerant: hi enim septimo anno in libertatem pristinam restituebantur. Cujus quidem ritus videor mihi vestigia invenisse in servitute Jacobi, qui primum septem annos pro altera filiarum, septem alios pro altera, septem forte & pro pecore serviuit Labano. Nec enim, nisi spatium hoc servituti fixum & solenne fuisset, video cur ad septenos potius quam pauciores annos ad servilem conditionem descenderit Jacobus (l). En iterum herilis societatis ante & post Mosen magnam similitudinem.

### §. XXXII.

Respublica Hebræorum ex his societatibus minoribus *Respubl.*  
conflata pro diversa aetate varia admodum fuit: Unde non *Hebr.*  
mirum est Mosen ipsum hoc prævidentem haud multa de rei-  
*retinuit*  
publicæ forma & legibus præcipere: sed temporibus & con-  
*quedam*  
F 3 *ex fami-*  
*liarum*

(i) Servi Abrahami & Jacobi ex Syria argento emti Gen. XII. 5. & XXXII. 5. ad quem locum CLERICUS de Syria servituti natis copiosius agit. Servi dono dati Abrahamo & forte Esavo, quos Nethinim dixerit Gen. XII. 16. XX. 14. Servi domi nati Abrahamo Genes. XIV. 14. De haereditate Iacobi Gen. XXV. 5. coll. XXXVI. 6. De servis autem Hebreorum post legem Mosiacam evolvere juvabit JO. CASIM. MIEGII eruditum libellum, confititiones servi Hebrai. Herborn 1735. in 8. vide imprimis Levit. XXV. 44. 46.

(k) Profelyti servi Exod. XII. 44. Lev. XXII. 11. Exemplo Abrahami. Gen. XVII. 23. 27.

(l) De servis Hebreis qui se vendiderunt agitur Exod XXI. 2. sqq. Levit. XXV. 39. sqq. Deut. XV. 12. sqq. Jerem. XXXIV. 14. יְהוָה דִמְתַתְנֵס servus. Sed & septenos annos servisse Jacobum Labano, patet ex Gen. XXIX. 18. 27. coll. XXXI. 41.



siliis posterioris ætatis relinquere, velintne aliquando regio subesse imperio, an antiqua frui libertate; addere statutis civibus, aut demere, aut denique ea mutare (m). Id certum videtur, Theocratiam, quæ in qualibet reipublica forma, atque in primis sub Mose fuit, in patrum jam familiis cœpisse (n). Nam ut Moses nutu maxime divino de loco in locum migrare jussit populum, ceteraque omnia ex Dei arbitrio instituit: sic patres eodem jubente Deo modo ex Chaldaea in Canaanam, modo ex hac in Philistæam, Aegyptum, Mesopotamiam, commigrarunt, & familiam ad circumseptionem, lustrationes, sacraque facienda adhortati sunt. Fuit ceteroquin summa rerum & vivo Mose, & diu post ejus ætatem, penes seniores populi & patres familiarum, ita ut sine communi Rege & Principe, separatis pagis oppidisque habitarent; quod quam sit veteri Patriarcharum vitæ consimile, nemo non intelligit (o). Potestas vero patrum familias tanta jam ante Mosen, ut iudicibus & Regibus senioris ævi haud multo major tribuenda videatur. Illi enim & cum exteris bella geslerunt, foederaque fanciverunt, & familiam rexerunt, judicarunt, atque in delinquentes poenas capitum statuerunt. Nota est Abrahami in Tetrapolitanos expeditio, ejusdemque & Isäaci cum Rege Gerar fœdus: nota liberorum Jacobi in Sichemitas saevitia, & fœderis

(m) Regis electio non precepta a Mose, ut Judei arbitrantur, sed libera Deut XVI. 14 sqq. Quanquam vero nec addere quicquam nec demere legi vetet Moses, tamen per se apparet, hæc pro rerum ipsarum conditione intelligi debere, & in iis quæ ex immutabili temporum conditione pendent multa addita vel mutata esse v. g. a Davide, Salomone &c.

(n) Theocratiam per regiam dignitatem non sublatam esse, erudit ostendit BUDDEUS Hist. Eccl. T. II. p. 267. Iq. Sed quid obstat, cur & ante rem publicam constitutam jam in familiis illis virorum sanctorum Theocratiam suisse dicamus, cum nihil temere magni momenti præcipisse legantur patres familias sua auctoritate, sed divinum mandatum referentes.

(o) Judices enim per intervalla tantum ad liberandum populum excitatos esse constat; unde sibi dicitur nullus suisse Rex in Israele. Jud. II. 19. XVII. 6. XVIII. 1. XXI. 5.

deris per simulationem initi violatio: nota rursum supplicia, quæ homicidio, scortationi & adulterio, tum & præputio proposuerunt Noachus, Judah, Abrahamus; a Mose deinceps partim servata, partim aucta (p). Quin & vindicem sanguinis videtur Legislator ex veteri consuetudine in republica sua admississe, siquidem & Cainus vindicem sanguinis metuisse legitur (q). Taceo alios ritus ex antiquitate servatos, quamvis nunquam lege ulla præceptos, v.g. quod nuptias per septiduum celebrarint, quod in lucta lacerarint vestes, quod mortuos non combustos neque unctos sepeliverint, quod foedera conciliaverint cæsa victima (r): que singula ut obiter in rebus gestis patrum occurrant, ita perpetuo usu sequentium ætatum posteritati commendata deprehenduntur.


## G

## CAPUT

(p) Homicidii pena capitalis Gen. IX. 6. quod servatum a Mose; unde vindex sanguinis, Exod. XXI. 12. Num. XXXV. 16. sqq. & si homicida ignoraretur, vitula ejus loco decollanda Deut. XXI. Scortationi, vel si mavis adulterio Thamar despontata, ignis supplicium statuit Judas Genef. XXXVIII. 24. Sicut & Moses morte multandum censuit adulterium Levit. XX. 10. Deut. XXII. 22. & sacerdotis filiam scortantem igni dammandam Levit. XXI. 9. Abrahamus excindit natione voluit omnes qui circumcisii non essent, Genef. XVII. 14. Quod idem convenire legi Mosaica jam supra ostendi; nemo certe nisi circumcisus ad ullum actum religionis Hebraeorum admittebatur; contra qui circumcisus erat eo ipso totam legem in se fuscepisse putabatur, habebaturque pro Judeo. Unde LXX. illud Estheræ VIII. 17. **מִתְהַלֵּךְ יְהוָה**, **Judei siebant**, recte interpretantur *wegestruktor*.

(q) Gen. IV. 14. 15. **Occidet me quisquis invenerit.** Invenire autem tunc Cainum nemo poterat, nisi arcto sanguinis nexus cum occiso Abele conjunctus.

(r) Nuptias per septem dies celebravit Jacobus Genef. XIX. 27. 28. Sie & Simson Jud. XIV. 12. Laceratio vestium inventitur Gen. XXXVII. 29. 34. XLIV. 13. quod factum esse sibi in luetu post Mofen non indiget probatione. Sepultura mortuorum describitur Gen. XXIII. 4. 6. 19. XXV. 9. 10. XXXV. 19. 20. 29. consimilis sepultura sequentium temporum. Nam de Jacobo & Jofephō ad morem Agyptum conditis Genef. L. 2. 3. 26. alia est ratio. In foederibus animalia macilata dissecabantur, inter quorum partes transfere pacientes solebant Jer. XXXIV. 18. 19. quem morem antiquissimum fuisse & Abrahami jam temporibus usitatum, ex Gen. XV. 9. sqq. appetet.



## CAPUT VI.

PLURES FORTE RITUS MO-  
SAICOS ANTE MOSEN FUISSE.

§. XXXIII.

*Mojen  
non  
omnes  
patrum  
ritus  
commem-  
morasse.*

Ex disputatis clarum credo erit, nihil temere esse priscorum rituum, quod a Mose sit abrogatum, aut ipso tempore abierit in desuetudinem; imo ipsa hæc vel in transitu memorata veterum instituta partem præcipuum legum Moſaicarum cujuscunque generis constitutere. Jam cogitandum est, quam fortuito & per occasionem tantum plerorumque mentio in rebus gestis patrum injiciatur. Nam nisi elusionem v. g. orbis terrarum describere datum fuisse, discriben aliquod animalium mundorum & immundorum fuisse ignoraremus, & nisi Judæ cum Thamara incestum memorie visum fuisse prodere, forte leviratus legem cum Mose demum natam crederemus. Scilicet hoc mihi dari postulo, non fuisse scriptor sacri scopum, ut omnes & singulos ritus, cærimonias & leges majorum ex instituto enarraret, quum eam recensionem corpori juris in constituta republica solenniter promulgato reservasset. Quicquid igitur Moses cum filo perpetuæ ad sua tempora historiæ nullo nexus necessario coniunctum esse intellectus, id omne, præfertim brevitatib[us] studens, debuit prætereire. Igitur proclive est judicatu, plures longe Sinaiticas leges potuisse antiquam habere originem, quam propterea tantum hodie non licet tam clare ostendere, quoniam pro scopo scriptoris sacri & brevitatem stili nulla se præbuit eas inspergendi occasio. Sed & recogitanti mihi historiam prima ætatis, in mentem venit observare, quam paucorum rituum prima institutio adjiciatur, cum pleraque sic obiter & sine præfatione attingantur, ut quando aut quare cœperint sis incertus. Unde consequens est, si stilum Moſis recte perpendimus, ejusmodi rituum primam originem iis temporibus generatim non satis tuto adstringi, ubi prima Moſi occasio nata est eorum nominandorum.

§. XXXIV.

## §. XXXIV.

Generale mihi argumentum, quod plures leges Mosaicæ <sup>Unam &</sup> ante Mosen exsisterint, inde suppeditatur, quia sub foedere antiquo una semper eademque ratio fuit & œconomia salutis, <sup>eandem</sup> non tantum quoad interiora religionis, de quibus Petrus lo- <sup>fuisse æ-</sup>  
<sup>conomi-</sup><sup>am V. T.</sup> quitur, cum sub novo foedere consimili modo nos salvare ait ut patres (s); sed & quoad exteriora cœrenonias. Nec enim plures foederis divini formulas norunt sacrae literæ præter duas, sic ut omnes qui sub veteri foedere fuerunt etiam sub pædagogo legis fuerint usque ad Christum (t), sive illa scripta & palam promulgata fuerit, sive ore tantum & exemplis tradita. Nam multoties & multifaria ratione Deus patribus locutus dicitur per Prophetas, unde obsequium præstantes eorum effatis, jam inde ab Adamo & Abele omnem cultum divinum fide peregerunt (u); atque hinc sequentes viri sancti, qui ad inanes superftitiones reliquarum nationum abripi se non patiebantur, Deum Patrum suorum laudabant(x), hoc est, non modo eundem verum Deum, quoenamque tandem nomine appellatum, sed & eodem puro cultu invocatum. Fuerunt sane nonnulla subinde recentius instituta, sic ut circumseptionem v. g. patribus ante Abrahamum, & Paschatos sacrificium, iis qui ante Mosen vixerunt, tribuere nequeamus. Sed quoniam haec singularia quædam Dei beneficia in memoriā revocant, quibus posteri Abrahāmi a ceteris nationibus barbaris & superftitionis segregati, & ex Aegyptia servitute liberati erant: non magis potuerunt prius instituti, quam Encænia ante conditum templum, aut dies Purim ante Estheræ tempora: neque adeo obstant ejusmodi ritus, quominus reliquos, quatenus ad omnes spectare poterant, originis antiquissimæ suisse dicamus.

G 2

## §. XXXV.

(s) Vid. Aëtor. XV, 11.

(t) Galat. IV, 2. 3.


(u) Hebr. I, 1. XI, 4. sqq.

(x) Genef XXVI, 24. XXVIII, 13. XXXI, 5. 29. 42. 53. XXXII, 9. XLVI, 1. 3. XLIX, 24. L, 17.

*Abraba-  
mum,  
velut  
patrem  
fidelium,  
totam  
legem  
habuisse.*

Memorabile in primis mihi visum est, quod Abrahamus non tantum pater communis omnium fidelium habitus semper est ab Hebrais, sed etiam quod illi totum quasi corpus legum divinarum traditum dicitur in facris literis. Locus est in Capite sexto & vicesimo Genesios: propterea quod dictis meis audiens fuit Abram, & obseruavit cultum meum, praecpta mea, statuta mea & leges meas (y). Quanquam enim vocabulis quae hic leguntur Hebraicis non praeceps distinctionem in leges morales, cærenoniales & forenes innui supra indicaverim; tamen eadem prater modum cumulata & multitudinem & varietatem legum divinarum, vel ut aptius dicam, quicquid ullo legis divinae nomine venire potest, significant. Verum si ea respiciamus, quæ Moses mandata Abrahamo refert, prater unam circumflectionem tum demum recens institutam inventiemus nihil. Quænam igitur sunt reliqua tam multa tamque varia? Scilicet, ut ex alio loco colligitur, quæ Abrahamus revelata sibi denuo sua commendatione ad posteros, adeoque & ad ipsum Moysen, transmisit; ut qui ea distincte & sigillatim recensita velit legere, scriptam legem Mosis adire debeat, quæ literis jam & tabulis duraturis ad seram ætatem propagavit, quæ Abrahamus & ante eum primi homines sancti voce tantum & monitis atque exemplis induxerant.

(y) Genef. XXVI, 5. coll. XVIII. 19.





**H**a auch ich verspür in mir jetzt die Kraft erfreuter Triebe,  
Hier ermuntert mich die Pflicht, dorten lockt die Freundschafts-  
Liebe;

O ! wer bleibt wol unempfindlich ? wer stimmt nicht dem Wünschen bey,  
Derer, die bey Deinem Glücke, Dich, Freund , ohne Schmeicheley  
Dich und Deinen edlen Fleiß und Dein eifriges Bestreben ,  
Nach der Wahrheit tiefsten Grund , heute voller Lust erheben.  
Heute, da der schönste Vorzug Dein so reises Wissen krönt ,  
Heute, da Du von der Weisheit, nach der Du Dich stets gesehnt ,  
Schon die reifsten Früchte zeigst : Früchte, die auf späte Zeiten  
Dir gewiß Ruhm, Ehre, Glück und Vergnügen zubereiten.

Hiermit suchte dem geschickten Herrn Respondeu-  
ten seine Hochachtung und Freundschaft zu  
bezeugen

Dessen

ergebenster Diener

J. L. Boecker, Opp.  
aus Strelitz.

H

Theu-

**H**eurer Ziegra, dessen Eifer mir ein edles Beispiel bleibt,  
Eich, was Pflicht und Freundschaft fordert, und mein matter Kiel  
Dir schreibt,  
Mit geneigten Blicken an: Denn wie könnt ich ijo schweigen;  
Da mich selbst Dein Ruhm erweckt, Dir mein' Ehsucht zu bezeugen.  
Du betrifft, mein Freund, die Stusse, die zu höhern Ehren führt;  
Du erlangest heut den Beifall, der Dir längstens schon gebührt;  
Und läßt mich zugleich an Dir und in Deiner Handlung sehen  
Wessen Spuren mein Gemüht ferner freudigst nachzugehen.  
Ja mein Fleiß stellt Dein Exempel künftig sich zur Folge vor:  
Denn Du leihst wahrer Weisheit jederzeit ein willigs Ohr;  
Redlichkeit und Gottesfurcht siehet man Dir stets zur Seiten,  
Die ein unermüdter Fleiß und Arbeitsamkeit begleiten.  
Drum so sange heut mit Freuden und mit Ruhm und Ehre an,  
Uns die rechte Art zu zeigen, wie die Wahrheit siegen kan;  
Und ergöze Dich forthin an dergleichen edlen Sachen,  
Die den Erieb zur Nachahmung immer stärker bey mir machen.

Qualiacumque hæc Respondenti politissimo Amico  
suo dilectissimo, Lipsiam abiturienti offerre  
& voluit & debuit

Gerhardus Henricus Schmid, Opp.  
S. S. Theol. & A. A. L. L. Cultor.

**B**ein Beyispiel, edler Freund, bestätigt diese Lehre:  
Der Fleiß bringt Wissenschaft; das Wissen Lob und Ehre.

J. G. Misler.



**S**ieh, werthgeschätzter Freund, hier meine Freundschafts-Pflicht,  
Sieh meine Triebe an, nicht aber das Gedicht,  
Denn dieses kan Dich nicht und Deinen Ruhm erheben,  
Und Dir ein solches Lob, als Du verdienest, geben.  
Wer Dich nur kennet, weiß, wie schön Dein Wissen sey.  
Die Lehrer legen selbst das grösste Lob Dir bey.  
Nun zeigst Du öffentlich von Deinem Fleisse Proben:  
Nun steiget auch Dein Ruhm, nun wird Dich jeder loben,  
Die Tugend wird belohnt. So trifft auch dieses ein:  
Dein Glück wird einsten fest, groß und vollkommen seyn.  
Dich aber liebt und ehrt Dein Freund, der also dencket,  
Und preist des Schicksals Schluss, weil es Dich ihm geschenket.

Christian Hartmann.

§ 2

Dein

Dein Wiss, geschickter Freund, Dein so gegründtes Wissen,  
Und Dein erhab'ner Geist, befiehlt mir so zu schliessen!  
Ist in der Blüthe schon ein Baum so ungemein,  
Wie herrlich wird denn nicht die Frucht desselben seyn?

Johann Paul Wenzell.



AB:153137

ULB Halle  
003 898 784

3




V018

56.

R

WNA





2

DE  
LEGIBUS  
MOSAICIS  
ANTE  
MOSEN  
COGITATIONES  
HERM. SAM. REIMARUS  
P. P.  
ET  
CHRISTIANUS ZIEGRA  
HAMB.  
PUBLICO EXAMINI  
IN GYMNASIO HAMBURGENSI  
AD D. XI. APRIL. A. M DCC XLI.  
SUBIICIENT.

---

---

HAMBURGI  
TYPIS CONRADI KÖNIGII AMPLISS. SENATUS ET GYMNASII  
TYPOGRAPHI.